









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
UTILITATE
PARACENTESES
FREQUENTIORIS IN ASCITE
SINGULARI CASU COMPROBATA.

CONSENSU GRATIOSI ORDINIS
PRO GRADU DOCTORIS

PRAESIDE
VIRO ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMOQUE
D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO

MEDICAE ET ANATOMIAE PROF. PUBL. ORDINARIO
AC ACADEMIAE CAESAR. NAT. CURIOS. CENSORE PUBL. PERIPOL.
SAL. ACADEMIAE BEROLINENSIS SCIENTIARUM SOCIET.

JOHANNES VUCHHOLZ

MARAT. MAGDEBURGICAE IN OFFICINA BENSLEIANA.





21

8 Pri. Co. Michx. 40.
1759 26

DE

IVRE ACCRESCENDI
IN LEGATIS
SEMPER
IVRE NON DECRESCENDI

P. 298

PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO IACOBO HEISLERO

I. V. D. ET PROFESSORE IVRIS PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

SOLENNITER IMPETRANDO
DIE IV. APRILIS MDCCLIX.

PVBLICE DISSERTET

AVCTOR

FRIEDERICVS CHRISTIANVS MICHAELIS
HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS HILLIGERIANIS.



Handwritten mark or signature at the top left of the page.

IN RE A CORRESSENDI
IN LEGATIS
IN RE NON DECRESSENDI

BRASIDE
PRO EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO

DOMINO
PHILIPPO JACOBO HEISLERO
I. V. D. ET PROFESSORE VARIIS PUBLICO ORDINARIO

PRO GRADU DOCTORIS

SOLEMNITER INTERVENIENDO
DIE IV APRILIS MDCCLXII

FRIDERICVS CHRISTIANVS MICHAELIS
AVCTOR

HAJAE MAGDEBURGICAE
UNIVERSITATIS



VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO IOSEPHO
DE IARIGES

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS MAGNO-CANCELLA-
RIO BELLI AC STATVS MINISTRO INTIMO SVPREMO,
ADPELLATIONVM SACRORVMQVE TRIBVNALIVM
OMNIVM SVMMO PRAESIDI, ET SOCIETATIS REGIAE
SCIENTIARVM MEMBRO
RELIQVA

NEC NON

VIRO
PERILLVSTRI ET AMPLISSIMO
DOMINO
AVGVSTO FRIDERICO
EICHEL

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS
ET IN SANCTIORI CONSILIO RERV CVM EXTERIS
GERENDARVM AC BELLICARVM

A MANV,

PATRINO SVO AETERNVM COLENDO,



DVVMVIRATVI HVIC SPLENDIDISSIMO
AVGVSTISSIMI PRINCIPIS NOSTRI, PATRIS PATRIAE
DEXTRAE
TERRAE BRANDEBVRGICAE PRAESIDIO PRORSVS INSIGNI
REIPVBLICAE LITTERARIAE ORNAMENTO MIRABILI,
VIRIS

VT MVLTA PAVCIS COMPLECTAR,
IN QVOS NVLLA DESCRIPTIO SED PIA SALTEM VENERATIO

CADIT
MAECENATIBVS AC FAVORIBVS GRATIOSISSIMIS
DEVOTA MENTE AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS
HOC QVALECVNQVE IVSTISSIMAE SVAE VENERATIONIS

MONVMENTVM STATVIT
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS OFFERENS

TANTORVM NOMINVM

FRIEDERICVS CHRISTIANVS MICHAELIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
IVRE ACCRESCENDI
IN LEGATIS
SEMPER
IVRE NON DECRESCENDI.

§. I.



erti atque indubitati iuris est, inter legatarios *Materiae*
nullo modo coniunctos non posse locum ha *difficultas et*
bere ius accrescendi, in eoque omnes et boni instituti ra
et mali interpretes consentiunt. Ita ANT. tio.
FABER *Dec. 49. Err. 8. n. 3.* Quodsi vero
quaeritur, an quaelibet legatariorum coniun
ctio locum iuri accrescendi faciat? de eo pro
fecto non aequae inter omnes constat. Affir
mant

A

mant

mant alii, alii negant, difficultates vtrique experiuntur fere insuperabiles: nempe materia haec est, cuius explicandae periculum iam facturus sum, qua HOTOMANO teste *Lib. 6. Obs. cap. 12.* propter continuam legum repugnantiam nulla in toto iure spinosior, nulla magis subtilis, difficilis, intricata et obscura, adeo, ut iudicio ECKOLDI in prooem. diff. *de iure accrescendi* de ea tacere praestet, quam pauca dicere. Verum ego dicam tamen, certo persuasus, oleum, quod aiunt, atque operam illum non perditurum, qui vel parum lucis affuderit obscuritati. Dicam praeterea pauca, si vniuersum illum iuris accrescendi ambitum, aut dicam factis multa, si illam tantum huius materiae partem spectes, quam rubrica hisce paginis praefixa eloquitur. Ut vero ex animi sententia succedat labor, frustra me non futurum autumo, si ante, quam ad exactiorem propositi executionem me accingam, Lectori beneuolo saltem aliquam eorum, de quibus differere constitutum mihi est, notionem ex compendiis vulgaribus adferam. Reddet hoc intellectum faciliora, quae alias forent difficillima.

§. II.

Conceptus
vulgaris
coniunctio-
nis et iuris
accrescendi.

Vulgo *coniunctos* appellant legatarios, qui ad eandem rem sunt vocati. Iam sic: vel vocati sunt ad eandem rem diuersis propositionibus e. g. hoc modo: *Titio fundum Tusculanum do, lego, Sempronio eundem do, lego,* et audiunt *re coniuncti*; vel eadem propositione sunt vocati, et iterum distinguunt DD., an restator partes adiecerit (puta *intellectuales*, quia alias legatarii desinunt esse ad eandem rem vocati,) e. g. dicens: *Titio et Sempronio fundum Tusculanum AEQVIS PARTIBVS do, lego;* an vero nullas adiecerit partes, sed omnes simpliciter vocauerit hunc e. g. in modum: *Titio et Sempronio fundum Tusculanum do, lego.* Si prius; *verbis tantum:* sin-
poste.

posterior; *re et verbis simul seu mixtim coniunctos* eos vocare consueverunt. Quodsi deinde contingat, (contingit autem non raro,) vt coniunctorum aliquis suam emolumentum testamentarii portionem non acquirat, e. g. quod vel sponte id spernat, vel ante testatorem excedat e viuis, vel conditio adiecta non existat, adeoque portione sibi relicta potiri nequeat: talis *desicere* dicitur, eius vero portio efficitur *vacua*. Haec non manet penes heredem, sed leges eam ex praesumpta testatoris voluntate legatario, suam portionem adepro, siue re, siue verbis, siue mixtim coniuncto, tribuunt, quod non sit veri simile, testatorem portionem deficientis legatarii vacuam ad heredem potius, a quo, quam ad collegatarium, cui eandem rem legauit, voluisse peruenire. Quoties fit, vt portione vacante legatarii deficientis portio collegatarius non deficientis, ea huic *accrescere* dicitur, vnde et nomen *iuris accrescendi*, quod proinde nihil est aliud, quam ius legatarii coniuncti non deficientis habendi portionem vacantem legatarii coniuncti deficientis. Occurrunt haec, vt dixi, in compendiis passim. Verum in hac doctrina vulgari multa manca, erronea atque iuris principiis non apprime conuenientia esse, patebit ex sequentibus.

§. III.

Ex mente veterum Ictorum legatarii *coniuncti* dicuntur Conceptus sunt, qui vel ad eandem rem ita, vt omnium concursu coniunctio existente singuli minus, quam solidum eius, quod cuius nis ex mente est relictum, capere possint, vel eadem propositione sunt te LL. vocati. Duplex igitur est coniunctionis genus, quorum alterum ab altero plane diuersum, et ex diuersa etiam vnumquodque causa existit. Nimirum prius coniunctionis genus ex eo dicitur, quod duo vel plures in *eadem re*, posteriori vero ex eo, quod *eadem propositione* iungantur.

Liceat mihi breuitatis studio hanc coniunctionem *verbalem*, illam vero *realem* appellare. Reali coniunctione coniuncti *re coniuncti*, verbali autem, *verbis coniuncti* vocantur. Iam sic: vel cum coniunctione reali verbalis in iisdem legatariis concurrat, vel non. Si prius; *re et verbis simul*, seu *mixtum coniuncti* nominantur: sin posterior, tunc vel adest sola coniunctio realis sine verbali; vel sola verbalis sine reali. Casu priore *re tantum*, posteriore *verbis tantum coniuncti* vocari solent. Meum iam est probare, ea, quae dixi, legibus et veterum *ICtorum* doctrinae conuenire.

§. IV.

Coniunctio
verbalis ex
sola vnitatem
orationis na-
scitur.

Ad coniunctionem *verbalem* quod attinet, ea ex sola conceptione verborum et orationis, quae duos vel plures legatarios simul complectitur, vnitatem originem habet, adeo, vt in hac coniunctione non aequae, ac in reali, opus sit, legatarios esse ad eandem rem vocatos, sed eadem enunciatione vocatos esse, sufficiat. Quoniam enim POM-
PONIO teste in *L. 66. ff. de hered. inst.*, et *syllaba*, i. e. sola verborum conceptio, *coniunctionem facit*, et praeterea verbis coniuncti ab eo dicuntur, quod eos verba testatoris, vel, vt cum PAVLO in *L. 142. de V. S. loquar, nominum complexus iungat*, cum nempe testator singulorum nomina vna complectitur oratione: consequens est, vt verbis coniuncti recte dicantur, qui eadem propositione vocati, nec interstiti, an ad rem eandem, an ad diuersas eos vocauerit testator, conf. COCCEII *iur. ciu. controu. t. de legat. ibique quaest. 3. de iur. accresc.* Quam ob rem nullus dubito, legatarios in specie, quae occurrit in *L. 84. §. 12. de leg. 1.*, vbi testator ita: *Titio et Maevio singulos seruos do, lego*, verbis coniunctos praedicare, quidquid in contrarium DVARENVS *L. 1. cap. 4. 6. et 9. de iur. accresc.* disputet. Caeterum non est iam, quod mire-

mireris, eosdem legatarios interdum *coniunctos* et simul non *coniunctos*, *separatos* vel *disiunctos* appellari, quale aliquid in *L. 3. §. 3. ff. de usufr. accresc.*, nec non in *L. vn. §. ii. C. de caduc. toll.* deprehendimus. Nihil plane hoc habet absurdi: nam qui sunt *coniuncti RE*, possunt esse *disiuncti VERBIS*, et vicissim. Verum ad alia iam progredior, ad scopum meum propius pertinentia.

§. V.

Quamvis coniunctio realis esse non possit, nisi legatarii ad Regula ex eandem rem sint vocati, hoc solum tamen ad introducendum ius accre- applicans naturam con- crescendi non sufficit, nisi ita sint vocati, ut omnium concursu exi- iunctiois in stente singuli id, quod cuius est relictum, in solidum accipere neque- ordine ad ant, sed partes fieri necesse sit. Primaria haec thesis est vere- ius accre- rum Ictorum et fere vnicum principium totius doctrinae scendi. de iure accrescendi directium, quod, probe si teneas, facit ad difficillimos iuris textus feliciter resoluendos. Ante exemplis illustrabo rem, quam ad probationem ex legibus consiciendam me accingo. Si legatum e. g. ita fuerit con- ceptum: *Maeuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam* lego: Maeuio inter ac Seio neque coniunctio realis est, neque alterius deficientis pars vacua alteri non deficienti accrescit: quia, etiamsi ponas, neutrum deficere, sed am- bos concurrere; quilibet tamen partem fundi dimidiam sibi relictam totam habebit, neque huius dimidiae partes concur- su fieri, eamque deminui, necessum erit. Quodsi vero legatum ita se habeat: *Maeuio fundum, Seio eundem fundum* lego: inter legatarios coniunctio quaedam realis, apta, quae ius accrescendi introducere possit, sine dubio obtinet: hoc enim casu verba testatoris Maeuio non minus, quam Seio, et huic non minus, quam illi, totum fundum assignant. Iam vero fieri per rei naturam nequit, ut, utroque legaria- rio

rio concurrente et emolumentum testamentarium amplectente, eundem fundum in solidum consequatur uterque, contra notissimam *L. 5. §. fin. ff. commodat. regulam*. Aliter igitur exitum res inuenire non potest, quam si rei ab initio et ante concursum legatariorum secundum clara testamenti verba vnicuique *in solidum* datae, hoc concursu existente, partes fiant, et *totius loco vna dimidia vni*, altera alteri tribuatur. Dices, hanc totius in partes diuisionem non esse necessariam, sed legati verba in hunc sensum commode accipi posse, quasi testator vtrumque legatarium voluerit totum fundum acquirere, ita, ut vni, puta alterum praeveniens, corpus fundi, alteri, serius petenti, eiusdem aestimatio praesteretur. Verum frustra es: *defunctus enim SEMEL ad eos legatum pervenire voluit L. 87. de leg. 1.*, nec unquam censendus est voluisse, ut vni praesteretur corpus, alteri vero aestimatio, nisi hanc voluntatem vel manifestissime declaraverit *L. 33. de leg. 1. L. vii. §. ii. C. de caduc. toll.*, vel olim legatum *per damnationem fuerit separatis orationibus relatum*, CAIVS in *Inst. L. 2. t. 5. §. 7.* VLPPIANVS in *fragment. 1. 24. §. 13.* BOEHMER *diff. de verbis direct. et obliq. §. 24.*, quorum neutrum in mea specie occurrit. Quod si vero ponas, testatorem perspicuis verbis dixisse, se velle, ut fundus duobus praesteretur in solidum: tales re coniunctis plane non esse accensendos, statuo: partim, quia non sunt vocati ad eandem rem, sed alter ad corpus, alter ad aestimationem: partim, quia concursu partes non fiunt, et nemo minus, quam sibi relictum, capit: capit enim uterque solidum.

§. VI.

Ad ius accrescendi requiritur, ut legatarii Transito ad probationem propositionis in §pho procedente recitatae. Primum eius membrum, nimirum *coniunctionem realem nullam esse, nisi legatarii ad eandem rem sint vocati*, liquet

liquet ex *L. 39. de leg. 3.* Ibi: *RE CONIUNCTI videntur, non etiam sint vocati* *verbis, cum duobus separatim EADEM RES legatur, nec non ex ad eandem rem.*
L. 87. §. penult. de leg. 1. et L. 1. pr. ff. de usufr. accresc. Vnde
 in casu, quo usufructus duobus separatim alternis annis reli-
 ctus, PAPINIANVS in *L. 2. pr. ff. quib. mod. usufr. amitt.*
 claris verbis negat, inter legatarios ius accrescendi esse, id-
 que ex ea ratione: *quoniam propria quisque tempora, non con-*
currente altero, fructus integri habuit. Quamvis enim vtrique
 eiusdem rei usufructus fuerit relictus, idem tamen usufr-
 ctus non est relictus: siquidem hoc anno primus, non
 concurrente secundo, et altero anno secundus, non con-
 currente primo, integrum usufructum solus habet, adeo-
 que iam non concurrunt in eandem rem, cum usufructus
 huius anni non sit usufructus superioris anni, sed singulo-
 rum annorum separatus sit usufructus.

§. VII.

Iam de altero propositionis membro, quod scilicet Ad ius ac-
 ad introducendum ius accrescendi non sufficiat, legatarios crescendi
 in eadem re esse coniunctos, nisi ita coniuncti sint, ut, omnium requiritur
 concursu existente, singuli id, quod cuius est relictum, in solidum ac- talis coniun-
 cipere nequeant, sed partes fieri necesse sit, laborandum. Haussio, vi cuius
 hanc doctrinam ex *L. 1. §. 3. ff. de usufr. accresc.*, vbi VLPIA- partes con-
 NVS in casu, quo mihi fundi usufructus separatim totius, et singulo- cursu fieri,
 et tibi similiter fuerit relictus, ius accrescendi inter nos, rum legata minui ne-
 etiam si verbis simus disiuncti, et separatis orationibus vo- cesse est.
 cati, locum habere cum CELSO et IVLIANO asserit, ad Probatur ex
 dita hac ratione: *quia concursu partes habemus, i. e., quia est L. 1. §. 3. et*
 impossibile, ut ego totius fundi usufructum in solidum L. 3. pr. de
 habeam, et tu eiusdem fundi usufructum quoque habeas usufr. ac-
 in solidum, et hinc componi aliter res non potest, quam cresc.
 si usufructus, concursu vtriusque legatarii existente, in par-
 tes

tes diuidatur, ira, vt et ego, et tu minus, quam solidum habeamus, nempe quilibet partem duntaxat dimidiam. Paret ex hoc, veteres pro regula tenuisse, *toties locum iuri accrescendi esse, quoties legatarii ad eandem rem ita sunt vocati, vt eorum concursu existente, id, quod unicuique est relictum, non in solidum, sed, diuisione in partes facta, deminutum habeant*, quae regula verbis fere iisdem extat in *L. 3. pr. eod.*, vbi ita CELSVS: *toties ius accrescendi est, quoties in duobus, qui in solidam habuerunt, concursu diuisus est, scilicet vsusfructus, de quo ibi sermo.* Si obiicis, laudatas leges de legato vsusfructus esse concepras, hoc vero a legatis proprietatis vti alias, ita etiam in materia iuris accrescendi, non parum differre, adeoque regulam ex legibus commemoratis sumtam ad legata proprietatis tuto trahi non posse: nihil agis, quia VLPIANVS in *d. L. 1. §. 3.* statim subiungit: *quod et in proprietate contingeret: nam altero repudiante, alter totum fundum haberet.* Pertinet huc alia regula, eaque negatiue concepta, quam ex *d. L. 1. §. vlt. de vsufr. accresc. elicio.* Ibi species occurrit, qua, duobus heredibus institutis, alii cuidam nuda proprietas est legata, vsufructu deducto, et heredibus reseruato. Quaeritur, an heredes vsufructuarii in vsufructu gaudeant iure accrescendi? et respondet IULIANVS, quod non, hanc rationem addens, *videri enim vsufructum constitutum, non per concursum diuisum.* Nimirum testator non censetur singulis heredibus vsufructum reliquisse in solidum, sed pro portionibus cuiusque hereditariis, adeo vt, si e. g. primum instituit ex vna, alterum vero ex duabus tertiis, etiam vnam illi, huic vero duas tertias vsusfructus reliquisse praesumendus sit *L. 34. §. 12. de leg. 1.* Hoc vero posito singuli vsufructuarii, etiamsi omnes concurrant, tamen id in solidum accipiunt, quod cuilibet ab initio est relictum, nempe pri-

Probat
porro ex *L. 1. §. vlt. eod.*

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

L. 1. §. vlt. eod.

mus vnam, secundus duas usufructus tertias, adeoque nullae per concursum partes fiunt: siquidem partes, quas habent, mox ab initio ex ipsius testatoris voluntate singulis adscriptae intelliguntur, ut itaque per concursum factae dici nequeant, quippe quas, et nihil amplius, essent habituri concursu etiam non existente arg. *L. 6. §. 1. de usufr. accresc.* Et nunc, ni fallor, intelligis, quod ICrus ait: *videri usufructum constitutum* (scilicet per partes et secundum portionem cuiusque heredis hereditariam,) *non per concursum diuisum*, conf. BRVNNEMANN et DIONYS. GOTHOFREDVS ad *d. L. 1. §. ult. de usufr. accresc.* Apparet ex hoc, IVLIANVM vere ita ratiocinatum esse: *quoties usufructus* (idem dic de aliis legatis ob paritatem rationis *L. 20. de leg. 2.*), *non est ita constitutus, ut per concursum diuidatur, toties cessat ius accrescendi.* Quid igitur impedit, quo minus et ego ex principiis veterum ICtorum in medium mox allatis ita rationes subducam. Si ius accrescendi, quod sine coniunctione utriusque locum inuenire nequit *L. 16. ff. quib. mod. usufr. amitt.*, inter legatarios toties obtinet, quoties ad eandem rem ita sunt vocati, ut partibus per concursum factis singuli sua legata in solidum adipisci nequeant; idem vero accrescendi ius toties exulat, quoties legatarii ita non sunt vocati: consequens est, ut ego legatariorum coniunctionem, in ordine ad ius accrescendi spectatam, in eo recte postuerim, quod debeant esse ad eandem rem ita vocati, ut concursu existente singuli eo, quod cuius est relictum, in solidum potiri nequeant, sed partes fieri necesse sit, vid. supra §. V. Arqui, verum esse prius membrum utrumque, hoc sphaerico ostensum. Ergo et posterius verum sit, necesse est.

B

§. VIII.



§. VIII.

Probatu-
rius ex L.
80. de leg 3.

Prodeat iterum CELSVS. Is in L. 80. de leg. 3. haec habet, naturam coniunctionis, qualis ad ius accrescendi requiritur, perspicue exprimentia: *CONIUNCTIM*, inquit, heredes institui aut *CONIUNCTIM* legari, hoc est *TOTAM* hereditatem et *TOTA* legata singulis data esse, *PARTES* autem *CONIUNCTIM* fieri. Nihil profecto excogitari potest propositioni meae magis consentaneum. *Tota legata*, ait ICtus, singulis data esse oportere, partes autem concursu fieri, h. e., tota legata ita singulis data esse debere, ut tota etiam obtineant, nisi concursu deminuantur. Non iniucundum me facturum existimo, si *HOTOMANI* ratiocinium, quod L. b. 6. obs. cap. 12. extat, ex d. L. 80. de leg. 3. collata cum alio CELSI principio in L. 3. pr. ff. de usufr. accresc. sumtum, exscribo. Ita autem se habet. CELSI quippe duo haec praecepta extant: *coniunctim legari est totam rem singulis legari, partes autem concursu fieri L. 80. de leg. 3.* Deinde: *Toties ius accrescendi est, quoties in duobus, qui in solidum habuerunt, res concursu diuisa est L. 3. pr. ff. de usufr. accresc., quibus ex regulis inter se iunctis haec sine dubio conclusio conficitur: Vbi coniunctim legatum est, singulos in solidum vocari: vbi in solidum vocati sunt, concursu partes fieri: vbi concursu partes fiunt, ibi ius esse accrescendi, ac proinde a primo ad vltimum, quoties coniunctim legatum est, toties ius esse accrescendi.* Et pauca interiectis. Et haec est eiusdem regulae CELSI potestas atque sententia, ut inter eos demum ius sit accrescendi, quibus solidum legatum est. Quod cum ita sit, et haec conditio proprie ac specialiter legatis coniunctim relictis tribuatur, quis dubitet, quin illud ex contrario efficiatur, vbi disiunctim, (h. e. non in solidum, ita ut concursu partes fiant,) legata relicta sunt, ibi ius accrescendi non esse.

§. IX.

§. IX.

Sed audiamus et PAVLVM in *L. 89. de leg. 3.* ita defini- *Nec non ex-*
 nientem: *Re coniuncti videntur, non etiam verbis, cum duobus se-* *L. 89. de*
paratim, h. e. separatis orationibus, eadem res legatur, e. g. leg. 3.
 hoc modo: *Titio fundum do, lego, Seio eundem do, lego.* Post
 haec pergit: *Item verbis, non etiam re,* (subintellige coniuncti
 videntur, cum quis ita legat): *Titio et Seio fundum aequis par-*
tibus do, lego, quoniam semper partes habent legatarii. His de-
 inde tertiam speciem adiungit, quos ipse et re et verbis coniun-
 ctos appellat, atque in *L. 142. de V. S.* describit, quod sint,
 quos et nominum et rei complexus iungit, hoc vsus exemplo:
Titius Maeniusque heredes sunt, cui ego aliud simile substituo,
 ad legatarios translatum, hoc nempe: *Titio et Seio fundum do,*
lego. ICrus in hac vltima specie non minus, quam in prima,
 qua fundus ita legatus: *Titio fundum do, lego, Seio eundem do,*
lego, legatarios re coniunctos esse praedicat, in secunda vero
 specie: *Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego,* coniunctio-
 nem aliquam, praeter illam ex figura et conceptione ver-
 borum enatam, adesse plane negat. Nulla profecto alia
 huius rei potest excogitari ratio, quam haec, quia in secun-
 da specie legatariis partes sunt adiectae his verbis: *AEQVIS*
PARTIBUS do, lego, in prima et vltima vero fundus legatariis
 simpliciter est relictus, quam rationem ipse reddit PAV-
 LVS, dum de coniunctis verbis tantum inquit: *quoniam sem-*
per partes habent legatarii. Num ideo fortasse, quia semper *Adiectio*
 partes habent, desinunt esse vocati ad eandem rem, vt ICrus *partium*
 ex hac causa neget, eos esse re coniunctos? Minime: clau- *non impe-*
 sula enim *aequis partibus* partes tantum intellectuales, confu- *dit, quo mi-*
 sas, nec ad oculum demonstrabiles denotat, quae fundum *nus legatarii*
 ipsum realiter indiuisum relinquunt, adeo nulla eius pars *sint vocati*
 visibilis ac discreta sit assignabilis, ad quam testator non aequae *ad eandem*
 rem.

Titium vocauerit, ac Seium. Tunc diuisio realis foret, si testator ita dixisset: *Titio anteriorem, Seio posteriorem fundi partem do, lego*, quoniam quaelibet fundi pars ab altera diuisa nouum quoddam totum seu nouum quendam fundum constitueret *L. 6. §. 1. ff. comm. praed. L. 25. §. 1. ff. d. v. s.*, et sic legatarii sine dubio ad res diuersas essent vocati. Ast in nostro casu verba testatoris ita se habent: *Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego*, vbi partium mentio tantum *mentalem* fundi diuisionem inuoluit, adeo, vt testator, separatum cuique corpus dedisse, dici nequeat. Verbo vt omnia complectar, testator in nostra specie vtrique legatario partes quidem assignauit, sed *pro indiuiso*, minime vero *pro diuiso*, seu, vtrique partes assignauit *distinctas* quidem, scilicet mente, sed non *diuisas*, puta corpore. Quid igitur manet reliquum? hoc nempe, quod Titius et Seius aequae ad eandem rem sunt vocati, siue adiectio *aequis partibus* adsit, siue non. Alia ergo excogitanda ratio, qua commoueri Ictus potuit ad coniunctionem realem *propter partium adiectionem* inter legatarios negandam, et quaenam tandem illa? Rem penitus intuenti statim patebit, tunc, cum fundus duobus *ex aequis partibus* est legatus, neutri legatum esse totum, sed statim ab initio partem cuius dimidiam, seu partes singulis *viriles*: hoc enim sibi vult vox *aequis* *L. 13. ff. de hered. inst.* Igitur ita comparatum est hoc legatum, vt legatarii, etiam si ambos concurrere ponamus, tamen singuli id, quod cuius relinquitur, obtinere queant in solidum, partem nempe cuius dimidiam, quam necesse non est concursu deminui, vel eiusdem partes fieri. Tunc demum partes *concurso fieri* dicendum foret, si pars dimidia cuiuslibet assignata concursu existente scindi deberet in partes minores, id quod in hac specie contingeret: *Titio ex parte dimidia fundum lego, ex qua parte*

Vera ratio,
cur legatarii,
quibus partes adscriptae, non sint coniun-

si re.

Titio

Titio fundum legavi, ex eadem Seio eum lego, Sempronio ex parte dimidia eundem lego: nam etiam si Titio pars dimidia, et Seio quoque dimidia legata sit, tamen, quia ambo ad eandem partem dimidiam vocati, omnium legatariorum concursu existente neuter dimidiam, sed quiuis quadrantem solum consecuturus est, arg. L. 15. ff. de hered. inst. et L. 142. vers. Lucius Titius de V. S. Et haec profecto vera est ratio; cur neget PAVLVS in d. L. 89. de leg. 3., legatarios coniunctos re esse, quoties eis cum clausula aequis partibus legatur, quia nempe tunc partes concursu non fiunt, licet legatarii caeterum ad eandem rem sint vocati. Non obscure hanc suam mentem ipse palam fecit, dum ait, se ideo negare, legatarios, ad eandem quidem rem, sed partibus adiectis vocatos, coniunctos re esse, quoniam semper partes habent legatarii. Notanter dicit semper, quasi dicturus, legatarios non concursu demum partes habere, sed semper, i. e., mox ab initio, et ex ipsius dispositione testatoris, siue concursus existat, siue non. Secus omnia se habent in duabus speciebus reliquis, ubi Titio et Seio fundus simpliciter est legatus, siue propositionibus diuersis hoc factum: Titio fundum do, lego, Seio eundem fundum do, lego; siue vna: Titio et Seio fundum do, lego: utroque enim casu fundus ab initio utriusque sine vlla partium mentione, adeoque utriusque totus et in solidum legatus intelligitur: siquidem non minus sermo testatoris vnicus, quam duplex, eos ad eandem rem sine parte vocat, recte monente VOETIO ad t. ff. de leg. n. 60. Quod si vero non totum accipiunt singuli, sed tantum partem: hoc propter utriusque legatarii concursum, et sic ex accidente fit, quoniam nimirum per rei naturam fieri nequit, ut fundum uterque consequatur in solidum. Seponere vero hunc concursum; fac, Seium deficere: et Titius fundum retinebit

in solidum, utpote cui non ex parte tantum reali, vel intellectuali, sed in solidum est legatus, cum pro certo sit habendum, *fundi nomine simpliciter posito totum esse subintelligendum*. Vnde non mirum, quod PAVLVVS in vtraque specie inter Titium et Seium coniunctionem realem adstruere nullus dubitauerit, eoquod ambo ad fundum ita vocati, ut concursu existente neuter acquirere suum legatum in solidum queat, sed partes fieri necesse sit, quod de specie illa, in qua legatarii adiectis *partibus aequis* sunt vocati, dici nequit. Pater ex his, ex doctrina PAVLI aequae, ac CELSI ad constituendam inter legatarios coniunctionem realem in ordine ad ius accrescendi, de quo PAVLVVS in *d. L. 89.* ex instituto agit, non sufficere, eos esse vocatos ad eandem rem, sed praeterea requiri, eis ab initio *totam* legata sine *partibus* data esse, et partes demum concursu fieri. Sed cur, dices, PAVLVVS in *d. L. 89.* legatariis verbis tantum coniunctis tribuit ius accrescendi? Resp. de hoc dicam infra §. 26.

§. X.

Diferimen
inter verbis
tantum, et
mixtim con-
iunctos ex
praesumpta
testatoris
voluntate.

Oppones, falsum esse, quod in hac specie: *Titio et Seio fundum do, lego*, fundus singulis *totus* sit datus, sed datum potius esse totum vtrique simul, adeoque singulis tantum *partem* dimidiam, non minus, quam si testator verba *aequis partibus* adiecisset. Excitabis in hanc rem DVARENVM *L. 1. cap. 11. in fin. de iur. accresc.*, vbi ait: *quaestio est, de iis, qui re et verbis coniuncti sunt. Sed verius est, eos partes habere, non solidum, ab initio*. Et paulo post: *Quare similiores hi existimandi sunt iis, qui verbis tantum, quam qui re tantum coniunguntur*. Sed respondeo, ingens inter casum vtrumque diferimen intercedere. Verum equidem est, testatorem in legato sine partibus relicto etiam voluisse, ut singuli legatarii non accipiant solidum, sed tantum partem; sed hoc tunc demum

demum voluisse censendus est, cum vtriusque legatarii con-
 cursus impedit, quo minus solidum singuli obtinere que-
 ant: quamprimum vero propter alterutrius collegatarii
 defectum possibile fit, ut non deficiens solidum habeat:
 omnino praesumendus est testator, huic solidum tribuere
 voluisse, quia nimirum verbis usus est *solidum* sonantibus,
partium mentione folicite euitata. In specie vero, qua testa-
 tor duobus fundum legavit *partibus expressis*, credendus est
 voluisse, ut legatarii nunquam habeant solidum, sed singuli
 partes duntaxat sibi assignatas, siue deinde existat concur-
 sus, siue non *L. 78. §. 10. ff. ad Scr. Trebell. L. 3. §. 2. quib. mod.*
vsufr. amitt. ibique BRVNNEMANN. Si enim haec fu-
 isset eius mens, ut legatarius, collegatario deficiente, so-
 lidum solus obtineat: abstinere debuisset mentione partium,
 in materia legatorum praesertim: siquidem ea olim apud Legata olim
 Romanos fuit legatorum conditio, ut verbis ea concipi di- strictae in-
 rectis oporteret, *BRISSON. de formul. solemnib. popul. rom. interpretatio-*
Lib. 7. p. m. 625. sqq. DVARENVS L. 2. disput. cap. 9.; quod nis fuerunt.
 ipsum effecit, ut adeo strictae essent interpretationis, ut
 verba magis, quam testatoris voluntas, inspicerentur,
BOEHMER d. Diss. de verb. direct. et obliq. §. 12., cuius rei
 praeclarum vestigium extat in *L. 19. ff. de vs. et vsufr. legat.*
 Ibi *MODESTINVS* in specie, qua *alii fundum, alii eiusdem*
fundi vsufructum testator legavit, aut, vsufructum inter vtrum-
que communicandum, nec soli vsufructuario tribuendum,
etiam si eo testator proposito fecerit, ut alter nudam proprietatem ha-
beret, addita hac ratione: quod interdum plus valet scriptura,
quam peractum sit. Nempe testator ita legavit: Titio fundum do,
lego, Seio eiusdem fundi vsufructum do, lego. Sane, si prioris
 propositionis verba spectamus: negari non potest, Titio
 non proprietatem nudam, sed cum vsufructu coniunctam
 esse

esse legatam: siquidem *fundus* nomen simpliciter positum
 utrumque complectitur *L. 53. ff. de V. O. L. 66. §. 6. de leg. 2.*
 Quoniam igitur legata strictioris sunt interpretationis, nec
 ex voluntate dantur relinquentis, sed, teste *VLPIANO T. 27. §.*
1. in Fragment., ex *more iuris civilis* proficiuntur: non potuit
 non docere *MODESTINVS*, usufructum inter utrumque
 communicari, etiam contra testatoris voluntatem, quippe qui
 sibi impatere debet, quod mentem suam clarius non ex-
 presserit, hunc nempe in modum: *Titio fundum DETRACTO*
VSUFRUCTU do, lego, quod nisi fecerit, de se queri debet, si
 post mortem plus valere scriptura dicitur, quam peractum
 est. Plane eodem se res habet modo, quando testator
 duobus fundum *aequis partibus* legat: etiam si enim eo
 egerit proposito, ut singuli fundum, quatenus per con-
 cursum non impediuntur, in solidum habeant: tamen egre-
 gie fallitur, cum et hoc casu plus valeat scriptura, quam
 peractum est. Veteres verba intuebantur, non volunta-
 tem, vel, si mauis, voluntatem verbis metiebantur. Iam
 vero verba *aequis partibus* utriusque non solidum, sed partes cui-
 que viriles adscribunt. Recte igitur negat *PAPINIANVS*
 in *L. penult. ff. de usufr. accresc.*, inter eos, quibus res quae-
 dam *aequis portionibus* legata, ius accrescendi esse, ne, dum
 vni, deficiente altero, solidum assignamus, si mus ipso testa-
 tore liberaliores, quippe qui *partes* legatariis ab initio ad-
 scribens putandus non est, voluisse, ut *solidum* capiant. Si
 enim hoc voluisset: partium expressione abstinuisset: sciuit
 namque, vel scire saltem debuit, interpretes in materia le-
 gatorum verbis strictae inhaerere, atque voluntatem his vni-
 ce metiri solitos. *VOET. d. l. n. 61. in med. ANT. FABER*
Decad. 49. Error. 4. n. 4. Constans igitur et firma manet re-
 gula: quibus *PARTES* assignatae ab ipso testatore, illis noluit praer-
 stari

stari *SOLIDVM*, quidquid in contrarium disparent STRYK et BERGER in *not. ad Lauterbach. Compend. Digest. Tit. de legat. apud MOLLENBECIVM verb. his quoque accrescit. not. 113.* quibuscum eandem cantilenam cantat PEREZ ad *L. vn. C. de caduc. toll. n. 13. prope fin.* Itaque, breuibus vt me expediam, inter legatarios, quibus fundus *simpliciter*, et inter eos, quibus *partibus adiectus* est legatus, haec semper manet differentia, quod illi solidum habeant ab initio, et partes demum *per concursum*, hi vero partes *ab initio et semper* habeant, siue concurrant, siue non, solidum vero nunquam. Quanta vero sit differentia inter partes, quae demum *concurso* fiunt, et inter eas, quas legatarii *ab initio* habent, perspicue docet ALEXANDER ad *CAFF. Inst. L. 2. t. 5.* apud SCHVLTING in *Iurispr. Ante-Iustin. n. 26.* Quodsi de eo, quod illi, quibus fundus simpliciter est legatus hoc modo: *Titio et Seio fundum do, lego*, solidum habeant ab initio, ad huc dubium te vexat: id ex *VLPIANI* eorumque, qui cum eo faciunt, principiis euidenter demonstrabo. Is in *L. 3. pr. ff. de usufr. accrese.* cum *CELSE* asserit, *toties ius accrescendi esse, quoties (usufructus) in duobus, qui in SOLIDVM habuerunt* (nempe ex verbis testatoris,) *concurso diuisus est*; in *L. 1. in fin. eod.* vero negat, locum iuri accrescendi esse, quoties usufructus per concursum ita diuisus non fuerit. Iam vero in eadem *L. 1. pr. de specie*, qua vna propositione usufructus duobus simpliciter legatus, affirmat, inter usufructuarios ius accrescendi esse, id quod secundum sua principia in *L. 3. pr. et L. 1. in fin.* proposita affirmare non potuisset, nisi pro certo habuisset, legatariis usufructum ab initio in solidum esse legatum, et demum per concursum diuidi. Quod vero verba *d. L. 1. pr.*, *quoties usufructus legatus est, ita inter fructuarios est ius accrescendi, si CONIUNCTIM sit usufructus relictus*, non de alia, quam eiusmodi specie:

Qui re et
verbis simul
coniuncti,
solidum ha-
bent ab ini-
tio.

C

Titio

Titio et Seio vsumfructum fundi do, lego, sint accipienda, facile ostendo: vox enim *coniunctim* certe non denotat legatarios *re tantum* coniunctos, nam de his VLPIANVS ex instituto agit §. 3. d. L. 1., ibique eos illis opponit, quibus *coniunctim* vsumfructus est relictus. Verum particula *coniunctim* neque ad eos trahenda, quibus vsumfructus *adiectis partibus* est relictus: his enim ICTUS non potuisset tribuere ius accrescendi propter regulam in L. 1. §. *fin.* traditam. Nihil ergo reliquum fit, quam vt particulam *coniunctim* de iis intelligamus, quibus vsumfructus eadem propositione, nulla partium mentione facta, legatus. Facit mecum FACHINEVS *Lib. 4. Controu. iur. cap. 94.*, vbi de quaestione, an ii, qui *re* et verbis coniuncti sunt, partes ab initio habeant, an vero concursu demum? ex instituto agit.

§. XI.

Prolixa analysis difficilis L. 41. de leg. 2.

Denique propositionem meam, quae extat §pho 5., non mediocriter confirmat IAVOLENVS in L. 41. pr. de leg. 2., vbi haec species occurrit: *Maeuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego*. Seius decedit, vacua parte relicta. Quæritur, cuiam haec accrescat? Videtur sane, quod Titio soli: Maeuius enim cum Seio plane non censetur esse coniunctus: non *verbis*, quia separata quilibet oratione est vocatus: licet enim verbum *lego* in legatis Maeuio ac Seio adscriptis semel tantum expressum, tamen ad perfectas orationes constituendas semel est subintelligendum, recte monentibus CVIACIO *Lib. 4. Obs. cap. 35.*, et VOETIO ad *Tit. ff. de legat. §. 61.* Verum Maeuius Seio neque coniunctus est *re*: quia singulis partes sunt adscriptae, STRYK in *not. ad LAVTERBACH. compend. Tit. de legat. voc. vna oratione.* Sane ii, quibus ita legatum: *Maeuio et Seio fundum aequis partibus lego*: non sunt *re* coniuncti L. 89. de

de leg. 3. Ergo nec ii, quibus ita legatum: *Maeuio partem dimidiam fundi, Seio partem dimidiam lego*: Vtrobique enim mox ab initio partes habent legatarii. Et tamen, quod miraberis, responderet IAVOLENVS: *pars eius vtrique* (adeoque non Titio soli, sed et Maeuio), *accrefcit*. Valde torquet haec lex interpretes, quos inter nemo subtilior ANTONIO FABRO, qui *Decad. 49. Error. 7. et 8.* plenus est in *d. l. 41.* explicatione. Nihil vt te morer, meam statim dicam sententiam. Primum hoc ego pro explorato habeo, IAVOLENVM in laudata specie Maeuio ius accrescendi non fuisse asserturum, nisi Maeuio ac Seio tertius quidam, nimirum Titius, fuisset adiunctus, ad totum fundum a testatore vocatus: demto enim hoc tertio, plane nulla remanet Maeuio inter ac Seium coniunctio, ergo etiam ius accrescendi nullum, vtpote quod partium dimidiarum adiectio non minus impedit, quam in specie *L. 78 §. 10. ad Sc. Trebell.*, vbi vni decem, alteri duae vnciae relictae. Hoc ipsum, nisi me omnia fallunt, IAVOLENVS non obscure indicat, hanc sui asserti rationem reddens: *quia cum separatim et partes fundi, et totus legatus sit, necesse est, vt ea pars, quae cessat, pro portione legati cuique eorum, quibus fundus separatim legatus est, accrescat*. Si igitur tantum partes fundi Maeuio ac Seio legatae fuissent, non autem simul totus Titio: sine dubio necesse non fuisset, quid? ne fieri quidem potuisset, vt pars cessans accresceret. Verum quid causae subest, quod inter Maeuio ac Seium ius coniunctionis atque accrescendi sit tertio quodam adiecto, cesset autem statim, atque tertius ille subducitur? Opus hoc, hic labor est, qui Interpretes mirifice exercet. Adiunctione tertii inter Maeuio ac Seium speciem quandam coniunctionis nasci, quae sine ea frustra quaereretur, in eo quidem Doctores facile conueniunt.



conf. praeter ANT. FABRVM c. l., VOETIVS ad tit. ff. de legat. n. 61., COCCEII in iur. ciu. controu. L. 30. sq. ff. ibique quaest. 4. except. 1. de iur. accresc. COLLEG. ARGENTOR. Tit. de legat. §. 42. n. 3.: ast in vera huius rei ratione inuestiganda valde differunt. Ego rationem in eo ponendam statuo, quod ICti coniunctionem realem, qualis ad introducendum ius accrescendi inter legatarios requiritur, in vocatione eorum ad eandem rem ita comparata collocauerint, vt per concursum partes fieri, et cuiuscunque legatum imminui necesse sit (§. VII. sq.). Iuuat CUIACIVM excitare, qui L. 15. obseru. cap. 4. in haec verba: *Nam hoc certo nihil certius magis, quam inter eos, qui ab initio partes habent, vel habere intelliguntur, non esse ius accrescendi, sed inter eos, qui AB INITIO SOLIDVM HABENT, CONCVRSV PARTES FACIUNT*, add. EIVSDEM Obs. Lib. 24. cap. 34. In eadem sententia, praeter Triumuiros paulo ante laudatos, sunt FACHINEVS L. 5. Controu. iur. cap. 50. GOTHOFRED. ad L. 1. §. vt. ff. de usufr. accresc. l. n. ARGENTORATENSES c. l. §. 39. prope fin. Iam vero inter casum, quo Mauius pars fundi dimidia, et Seio iridem dimidia est legata, sed nemine praeterea adiecto, et inter casum, quo noua quadam propositione idem fundus simul Titio est legatus, haec notabilis differentia existit, quod in primo casu quibus fundi partem dimidiam sibi relictam in solidum obtineat, etiamsi alter cum altero concurrat, neque necesse sit, harum dimidiarum partes fieri hoc concursu existente, ex quo apparet, coniunctionem inter eos plane nullam esse iuri accrescendi inducendo aptam: quamuis enim negari nequeat, eos esse vocatos ad eandem rem (§. IX.); hoc solum tamen veteribus sufficere visum non est, vt locus iuri accrescendi esset, nisi simul et hoc accederet, vt omnium legatariorum concursu partes abstrahi ab eo oport-

oporteret, quod testatoris verbis cuilibet in solidum datum.
 Pone autem, eundem fundum, cuius dimidia vna Maeuio,
 altera Seio relicta, noua oratione adiecta simul Titio *totum*
 legatum esse; profecto longe alia tunc rerum facies spe-
 ctandam se se praebet: hoc enim posito fieri amplius nequit,
 vt omnibus legatariis ad legatum concurrentibus Maeuius
 suam dimidiam *in solidum*, et Seius suam itidem *in solidum*
 praeripiat, quia sic nihil Titio fieret reliquum, cui tamen
 tantum sola a testatore datum, quantum duobus prioribus
 simul sumris. Hoc igitur casu *concurso partes fieri* et totius
 Titio relicti, et dimidiarum Maeuio ac Seio adscriptarum
 necesse est, ita vt totum Titio datum secundum proportio-
 nem a testatore factam ad partem dimidiam, dimidiae vero
 Maeuio Seioque legatae ad quartas reducantur. Hoc ergo
 efficit adiectio tertiū cuiusdam, vt Maeuius ac Seius habito
 ad ius accrescendi respectu incipiant esse reali quadam con-
 iunctione coniuncti, quales ante hanc adiectionem non fuere:
 in sensu iuris enim et materia iuris accrescendi legatarii,
 vt iam saepius monui, toties pro *coniuncti* habendi sunt, quo-
 ties legata, ab initio in solidum data, concurso diuidantur
L. 3. pr. ff. de usufr. accresc. L. 80. de leg. 3.; toties autem *coniu-*
cti censendi non sunt, quoties eis legata non ita relicta, vt
 per concursum diuidantur *L. 1. §. fin. ff. de usufr. accresc.* At-
 qui facit adiectio tertiū, vt legata Maeuio ac Seio ab initio
 in solidum relicta diuidantur concurso, quae sine hac adie-
 ctione, posito etiam concurso, indiuisa fuissent mansura.
 Ergo facit etiam eadem adiectio coniunctos ex non coniun-
 ctis, per consequens et ius accrescendi inter eos operatur,
 qui sine ea nullum fuissent habituri. Stante hac legis inter-
 pretatione sensum rationis decidendi, quam addit IAVO-
 LENVS, nullo iam negotio assequimur. Is postquam di-
 xit,

xit, in specie, qua prima propositione *Maenio fundi pars dimidia*, secunda *Seio pars dimidia*, et tertia *totus fundus Titio fuerat legatus*, partem Seii deficientis vacantem *utrique accrescere*, hanc subiungit rationem: *quia cum separatim et partes fundi, et totus legatus sit, necesse est, ut ea pars, quae cessat, proportionem legati cuique eorum, quibus fundus separatim legatus est, accrescat.* Ait ICtus: *necesse est, ut ea pars, quae cessat, accrescat cuique eorum, quibus fundus separatim legatus.* Cur dicit: *necesse est, ut accrescat?* Ipse respondet: *quia separatim et partes fundi, et totus legatus est.* Rectissime profecto: nam hoc ipsum, quod *separatim et partes fundi, et totus legatus sit*, in causa est, cur *partes fieri concursu debeant*, cum sic impossibile sit, ut *singuli legatarii, posito casu, quod omnes concurrant, in solidum acquirant, quod secundum testamenti verba cuius relictum.* Idem ergo in causa quod est, cur *testator alius partes fundi, alii totum legando coniunctionem quandam inter legatarios constituisse censendus sit, et quidem talem, qualis ad ius accrescendi et requiritur, et etiam sufficit.* Hac vero constituta utique ius accrescendi non potest non subintrare, quoties pars aliqua cessat. Sed ait porro ICtus; *necesse est, ut ea pars, quae cessat, accrescat CUIQUE eorum, quibus fundus separatim legatus est.* Quare non dicit potius, *necesse esse, ut pars Seii vacans accrescat soli Maenio, vel Titio soli?* siquidem insolens non est, ut pars vacans ex pluribus coniunctis tantum vni eorum, iure quodam praelationis gaudenti, accrescat *L. 89. de leg. 3.* Iterum ipse respondet IAVOLENVS, ideo in dato casu *necesse esse, ut pars vacua accrescat utrique, quia et partes fundi, et totus SEPARATIM legatus est.* Rectissime et hoc: quia enim testator singulos legatarios ad eundem quidem fundum, sed tamen *separatim, i. e., separata quemlibet pro-*

posi-

positione vocavit; consequens est, ut eodem omnes conjunxerit modo, nimirum omnes *re*, verbis autem omnes seiunxerit. Hoc vero posito nulla adest ratio, cur in parte Seii vacante Titius sit praefendus Maeuio, aut Maeuius Titio: neque enim alter altero proximior quodam vinculo iunctus Seio reperitur, sed vinculo uterque aequali. Necessè igitur omnino est, ut ea pars, quae cessat, non accrescat vni, sed potius utrique, ne, si statuamus, alterum in portione vacante ab altero excludi, sine sufficiente hoc ratione statuamus. Tota praeterea legis nostrae decisio testatoris voluntati per omnia consentanea est. Nimirum testator, Maeuio fundi partem dimidiam, et Seio dimidiam, Titio autem eundem fundum totum legando, non hoc simpliciter voluisse censendus est, ut singuli id, quod cuius relictum, in solidum habeant etiam tunc, cum omnes concursuri sunt: sic enim voluisset aliquid impossibile: sed potius hanc eius fuisse mentem, credendum est, ut ex eo, quod cuique relictum, singuli caperent tantum, quantum erit possibile (§. X.). Quando igitur omnes tres concurrere ponuntur, non est possibile, ut Titius plus dimidia, Maenius plus quarta, et Seius plus quarta residua obrineant. Hisce ergo partibus quemuis contentum esse oportet ex testatoris voluntate. Pone vero, Titium deficere: et tunc fieri omnino potest, ut Maeuio de sua dimidia, et Seio iridem de sua nihil decedat. Vult itaque testator, ut dimidiam quilibet integram accipiat. Denique pone Seium deficere: et nihilo tamen fecius possibile non erit, ut et Titius et Maeuius id in solidum consequantur, quod verba testamenti cuius attribuunt: verum hoc erit possibile propter deficientem Seii concursum, ut duo reliqui iam obrineant plus, quam obtenturi fuissent, Seio concurrente: siquidem, si Seius deficit, iam ne-

Quae sit
praesumen-
da voluntas
testatoris
aliis partes;
alii totum
legantis?

esse non est, ut quarta pars, quae Titio et Maenio alias decessura, et ad Seium peruentura fuisset, eis decedat. Igitur iterum voluisse censendus est testator, ut haec quarta cessans legatis Titiano et Maeniano immixta maneat, *pro portione tamen*, ut ait ICtus, *legati* cuique relicti, quod iterum voluntati testatoris praesumptae convenit. Is enim generatim Titio legatum dedit, illud legatum, quod dedit Maenio, altero tanto superans, h. e., Titio dedit duplum, cum Maenio tantum dederit simplum. Ergo testator generatim voluisse censendus etiam est, ut omne legati emolumentum, quorsum sine dubio et pars Seii accrescens referenda, ita dividatur inter Maenium ac Titium, ut huic semper duae, illi vna solum tertia cedat. Capis iam IAVOLENI verba?

§. XII.

L. 41. de leg. 2. Regulam §. 5. propositam valde confirmat.

Ex decisione *d. L. 41. de leg. 2.* ita concludere mihi liceat: Si IAVOLENVS duobus, quibus testator singulis singulas dimidias fundi partes legavit, dum soli sunt, atque ideo *partes concursu facere* necesse non habent, nullum ius accrescendi tribuit; idem vero iisdem statim asserit, atque adiectione cuiusdam tertii, cui idem fundus totus est legatus, in eam causam coniiciuntur, ut *partes concursu fieri* debeant: consequens est, ut IAVOLENVS in ordine ad ius accrescendi eos demum pro *coniunctis* reputet, *qui ad eandem rem ita sunt vocati, ut partes concursu faciant*, h. e., eo, quod cuius est relictum in solidum, minus consequantur, quoties omnes collegatarii in rem legatam concurrunt. Et hoc ipsum est, quod dixi supra §. V. Verum ex *d. L. 41.* concludo porro, falsissimam esse communem DD. opinionem, quod inter legatarios, qui et *separatis propositionibus* et *adiectis partibus* vocati, plane nulla coniunctio esse possit. Toties haec opinio non est admittenda, quoties partes adiectae ita sunt

Notatur communis DD. error.

sunt comparatae, ut omnium legatariorum concursu ad partes redigantur minores. Vnde e. g. in hac specie: *Memento duas fundi tertias do, lego, seio eiusdem fundi duas tertias do, lego*, legatarios coniunctos esse existimo, idque argumento legis 41. de leg. 2.: nam et in hac specie impossibile est, utroque legatario concurrente, singulos duas tertias adipisci nihil imminutas. Necesse igitur est, cuiusque legatum ad partem minorem concursu redigi. Nullus itaque dubito, quin et ius accrescendi locum habeat alterutro deficiente, ita tamen, ut ultra duas tertias is, in quem ius accrescendi cadit, nihil accipiar, sed una tertia penes heredem maneat, ne scilicet, si totum fundum ei tribuamus, simus ipso testatore liberaliores, eiusque voluntatem peruerteramus, de quo dixi pluribus §. 10.

§. XIII.

Prono ex his, quae hactenus prolixè disputata sunt, fluit alueo haec regula: *Quicumque legatarii in eadem re non sunt ita coniuncti, ut concursu partes fieri, atque eorum legata imminui necesse sit, ius accrescendi nullum habent: quicumque vero legatarii in eadem re ita coniuncti sunt, ut concursu partes fieri, atque eorum legata imminui necesse sit, iure gaudent accrescendi, nisi huic vel lex, vel testatoris voluntas obstat.* Vid. praefertim §§. 7-12. Ad exceptionem refero, quando legata a fisco auferuntur ut indignis *L. un. §. excepti. §. 12. C. de caduc. toll.*; vel si duobus coniunctim alimenta legata *L. 57. §. 1. ff. de usufr.*, DVARENVS *L. 2. cap. 14. de iur. accresc.*, MENOCH. *L. 4. praesunt. 158.*, MANTICA *de Coniectur. ult. volunt. L. 10. t. 3. n. 24. sq.*; porro si deficiente a testatore aliquis substitutus fuerit, secundum vulgatum illud: *iur. substitutionis potentius est iure accrescendi L. 2.*

D

§ 8.

§. 8. ff. de honor. poss. sec. tabb., Auth. hoc. amplius C. de fideicommu., MANTICA c. l. L. 4. t. 10. n. 15. (sq.), HIERON. ROCCA Disp. iur. select. cap. 22. n. 2., DVARENVS c. l. cap. 16., ECKOLD diff. de iure accresc. §. ult. n. 2.; aut si testator alias ius accrescendi prohibuerit, quod ab eo fieri posse in materia legatorum, certum est, MANTICA c. l. n. 21., DVARENVS c. l. cap. 14., ANT. FABER Error. pragmat. 1. n. 8. Decad. 49., ECKOLD c. l. n. 3.

§. XIV.

Ex diuersis
testamentis
nullum ius
accrescendi.

Ex generali regula §. praec. tradita resultant per
plures aliae, quarum praecipuas enumerabo. Quoties duo
vel plures ad eandem rem, sed non eiusdem testamento vocati,
toties inter eos ius accrescendi cessat. Quibus enim eadem
res duorum testamentis est legata, eis VLPIANVS in L. 16.
ff. quibus. mod. vsusfr. amitt. ius accrescendi claris verbis de-
negat, hac vsus ratione: quia ex diuersis testamentis ius con-
iunctionis non contingit, et quare non? Ratio in aprico est:
nimirum eiusdem rei duorum testamentis legatae duplex
est petitio, adeo, vt ex altero testamento res, ex altero
aestimatio praestari debeat L. 34. §. 2. de leg. 1., quatenus
nempe non obstat regula de duabus lucrativis causis in eun-
dem hominem et eandem rem concurrere non valentibus §. 6. l. de
legat., quae in dato casu vtiq; ob stare non potest, quia
eadem res legari duobus ponitur, adeoque duae lucrati-
vae causae iam non concurrunt in eundem hominem. Con-
sequitur ex hoc, legatarios diuersis duorum testamentis ad
eandem rem vocatos in ea conditione esse, vt vtriusque
concursum existente nec partes fieri, nec alterutrius lega-
tum imminui necesse sit: quia quilibet solidum, prior ve-
niens scilicet rem ipsam, alter eiusdem aestimationem,
consecutus est, quo posito ius accrescendi inter eos non
potest

potest non cessare, PEREZ ad L. vn. Cod. de caduc. toll. n. An idem et
 u. in fin., ECKOLD d. diff. §. 7. Sed oppones: cum quis de testa-
 pupillari testamento alii eandem rem legauerit, quam mihi mento pa-
 in suo: non duplicem legati in solidum petitionem, sed terno et pu-
 concursu partes ex IULIANI sententia habemus L. 24. §. 10. pillari di-
 de leg. 1. Ergo et ius accrescendi nos oportet habere, tam cendum?
 etsi diuersis testamentis res nobis legata fuerit. Resp.
 ideo hoc ita, quia idem, qui suum, etiam filii testamentum
 condidit. Ergo ab eodem testatore ambo sumus vocati.
 Verum neque dici potest, duobus diuersis testamentis voca-
 tos nos esse: cum filii testamentum cum paterno pro uno
 habendum, vtpote cuius pars et sequela esse dicitur, adeo
 vt, hoc corruente, simul corruat §. 1. de pupill. subst. L.
 20. ff. eod.

§. XV.

Pari ratione assero: Quoties duobus vel pluribus eadem Cessat ius ac-
 res a diuersis heredibus est legata, toties inter eos ius accrescendi crescendi, si
 cessat. Disertis hoc verbis PAPIANVS docet in L. pe- a diuersis
 nult. ff. de usufr. accresc., vbi is ita: cum singulis AB HE- heredibus
 REDIBVS SINGVLIS eiusdem rei fructus legatur, fructuarii SE- legatum.
 PARATI videntur, non minus, quam si aequis portionibus duobus
 eiusdem rei fructus legatus fuisset: vnde fit, vt inter eos IVS
 ACCRESCENDI NON SIT. De ratione huius rei si quaestio
 incidit: Doctores in partes eunt. Aliqui hanc reddunt, quia
 vsusfructus legatariis pro partibus censetur esse relictus, quo
 posito ius accrescendi ideo cessat, quia partes concursu non
 sunt, vid. BRVNNEMANN ad d. L. penult., STRYK in not.
 ad Lauterbach. Compend. iur. voc. ab vno. Valde inuatur haec
 opinio verbis: non minus, quam si AEQVIS PORTIONIBVS
 eiusdem rei fructus legatus fuisset. Mihi tamen magis pro-
 batur ECKOLDI sententia, qui in d. diff. de iure accresc.

§. 7. n. 4. ait: quodsi enim a diuersis heredibus legatum sit relictum, perinde erit, acsi diuersis testamentis sit relictum, et propterea cuiilibet *IN SOLIDVM* debetur. Mouet me, quia ratio decisionis, in *L. ult. eod. obuia*, non desumpta à partibus, sed ab eo, quod alius ab alio herede usufructum vindicet, et sic re vera perinde sit, acsi singulis legatariis in diuersis testamentis legatum fuisset *L. 53. §. 2. de leg. 1.* Et iam apparet ratio, cur inter legatarios, quibus eadem res a singulis heredibus relicta, cesset ius accrescendi, quia nempe *singuli legatarii* a singulis heredibus *solidum* perunt, perinde, acsi duobus testamentis essent vocati. Ergo ex eadem causa, ex qua ius accrescendi cessare §pho praecedente diximus, cessare idem et in hac specie, de qua nunc agimus, oportet. Quod ad comparationem illam attinet inter eos, quibus singulis ab heredibus singulis, et eos, quibus res quaedam *aequis partibus* legata, ea eatenus procedit, quod in neutro casu adfit coniunctio apta iuri accrescendi inducendo, quamuis ex diuersa utrobique causa hoc accidat: illo enim casu talis coniunctio ideo deficit, quia vterque legatarius solidum habet, etiam existente concursu; hoc vero ideo, quia legatarii semper partes habent, solidum vero nunquam. Caeterum si ius accrescendi secundum *d. L. penult.* inter legatarios cessat, quibus ab heredibus singulis usufructus, in quo tamen ius accrescendi facilius locum habet *L. 1. §. 3. ff. de usufr. accresc.*, per legatum relictus: quanto id cessabit magis in proprietate a singulis heredibus legata?

§. XVI.

Legatarii, Ex regula §. 13. extructa porro infero. *Quoties qui ad eandem rem duobus vel pluribus eadem res legata est simpliciter, toties inter eos ius accrescendi existit, siue eadem, siue separatis orationibus* *sunt*

sunt vocati. Clara res est: si enim eadem res duobus vel vocati sim-
 pluribus legata *simpliciter*: tunc nemini testator partes ad pliciter, ius
 scripsit: hoc enim sibi vult vox *simpliciter*. Ergo singulis accrescendi
solidum legasse censendus est (§. 9. 10.). Ergo in ea causa habent.
 sunt legatarii, ut eorum concursu partes fieri, atque singu-
 lorum legata *imminui* necesse sit (§. 5.). Ergo in ea quo-
 que causa esse dicendi sunt, ut inter eos ius accrescendi
 obtineat (§. 13.). Huc in specie etiam casum refero, quo
 quis ita legavit. *Titio dimidiam fundi partem, Seio eandem di-*
midiam lego, vel etiam sic: *Titio et Seio dimidiam fundi par-*
tem lego: Nam nihil interest, an legatarii ad eandem rem,
 an vero ad eandem rei partem in solidum vocentur, GOED-
 DAEVS ad L. 142. de V. S. n. 7. Hinc in speciebus mox
 commemoratis, alterutro legatariorum deficiente, iuri ac-
 crescendi locum facere, nullus dubitarem: nam legatarii
 sunt vocati ad eandem rem, scilicet ad eandem partem di-
 midiam, et quidem non ex partibus, sed *simpliciter*, adeo, ut
 ad illam dimidiam, quae intuitu legatariorum ut totum ali-
 quod consideranda, quivis in solidum sit vocatus, et sic
 PARTIS partis dimidia CONCURSU FIERI debeant, cum im-
 possibile sit, ut singuli dimidiam illam in solidum habeant.
 Neque absurdum est, Titium ac Seium ad partem esse vo-
 catos sine partibus, ANT. FABER Decad. 49. Err. pragm. 2.
 Tunc demum legatarii ad partem ex partibus vocati existi-
 mandi essent, si legatum ita fuisset conceptum: *Titio ac*
Seio dimidiam fundi partem ex AEQVIS PARTIBVS do, lego.
 Sed iuvat propositionem meam etiam legibus confirmare. Probatur re-
 gula ex LL.
 Quod ius accrescendi obtineat in specie, qua duobus vel
 pluribus eadem res simpliciter, sed separatis orationibus, le-
 gata, claris verbis decisum reperitur in L. 1. §. 3. ff. de
 usufr. accresc.; de iis vero, quibus eadem oratione eadem



res simpliciter legata, idem constitutum legimus in *L. 89. de leg. 3.*, et in *L. 1. pr. ff. de usufr. accresc.*, quam legem ultimam, quatenus iis ius accrescendi tribuit, quibus *coniunctum* usufructus relictus, non de alia, quam eiusmodi specie intelligi posse, ubi duobus vel pluribus eadem res simpliciter, et eadem propositione est relicta, a me ostensum est supra §. 10. in fin. His addo *L. 17. in fin., L. 34. 35. 36. ff. ad L. Aquil., L. 26. in fin. ff. de us. et usufr. legat. et L. 34. §. 11. de leg. 1.* Denique utrumque propositionis meae membrum perspicue elucet ex *L. 3. §. 1. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Ibi talis occurrit species: *Titio et Maevio usufructum do, lego*, (en casum, quo utriusque usufructus simpliciter et eadem propositione legatus,) si Titius capite minutus fuerit, eidem usufructum do, lego. Pone iam, Titium, capite minutum, usufructum amisisse, et quid fiet de usufructu amisso? Respondeo, eum nondum accrescere Maevio, quia aliquis Titio substitutus est, nempe Titius sibi ipsi, quod fieri posse, nempe ut quis sibi ipsi substituatur in usufructu amisso, satis apparet ex *d. L. 3. pr.* Igitur Titius recipiet usufructum capitis deminutione amissum, idque iure substitutionis, quod iure accrescendi fortius esse, novimus ex §pho 13. Sed, si Titius usufructum repetitum (sic enim vocant usufructum, qui eidem legatario in casum amissionis denuo legatus,) receperit: an tunc inter legatarios ius accrescendi saluum est? PAPINIANVS *lib. 17. quaestio. scribit, saluum esse, perinde, ac si alius esset Titio in usufructu substitutus: hos enim, tamen non verbit, re tamen coniunctos videri.* Refert haec verba VLPPIANVS, qui auctor est *d. L. 3.* Et profecto recte se habent omnia. Titius, qui ab initio Maevio non tantum *re*, sed et *verbis* iunctus fuit, amissum usufructum resumens ex repetitione,

Praefertim
ex *L. 3. §. 1.*
ff. quib.
mod. usufr.
amitt., quae
lex explicatur.

ma-

manet quidem eidem iunctus *re*, quia ad eundem cum illo usufructum et in repetitione sine vlla partium mentione vocatus: sed tamen ambo iam euadunt *secundi verbis*, quia repetitio usufructus in separata quadam propositione facta. Vtrumque igitur casum dicta L. 3. §. 1. exhibet, nempe illum, quo duo ad eandem rem *simpliciter et eadem oratione*; deinde etiam eum, quo duo ad eandem rem *simpliciter*, sed *separatis orationibus*, sunt vocati. Et asserit Ictus, vtrouique locum iuri accrescendi esse: dicit enim: *ius accrescendi SALVVM esse, si Titius ex repetitione usufructum habeat, quod verbum saluum esse satis ostendit, ius accrescendi non tantum in hoc casu, quo Titius ex repetitione usufructum recuperat, locum habere, sed et locum habiturum fuisse, si legatum, omissa usufructus repetitione, vnica oratione ita fuisset conceptum: Titio et Maenio usufructum do, lego.* Verum et nouo iure vtrumque propositionis meae membrum fulcitur, vid. §. 3. I. de legat. Nescio itaque, quid in mentem venerit viro admirabili eruditione imbuto BYNKERSHOEKIO L. 2. *Obs. iur. rom. cap. 3.* docenti, ius accrescendi inter *re tantum coniunctos* vbique cessare, qua quidem in *re sequacem* vix reperiet.

§. XVII.

Pergo ad speciem, qua legatariis *partes* sunt assignatae, de qua regulae sequentes norandae. *Quoties vni totum, iure accrescendi, cum alii vero pars eiusdem totius realis seu diuisa est legata; toties ius accrescendi, cum vni totum, alii pars eiusdem totius intellectualis seu indiuisa legata; toties, si pars vacat, alteri pars accrescit toti, nunquam vero, si totum vacat, accrescit parti, adeoque ius accrescendi non semper est reciprocum.* Loquor de casu, *legata, eaque* vbi ei, cui totum est legatum, tantum vnus est adiunctus, *ad partem vocatus: si enim plures sunt ad partes vocati:*

res

Vel diuisa, res saepe non mediocriter alteratur, de quo infra. Iam ad rem praesentem. Exemplum, prius regulae membrum explicans, hoc esto: *Titio fundum do, lego, Seio eiusdem fundi partem, quae trans viam est, do lego.* In hac et omnibus similibus speciebus legatarii plane non sunt vocari ad eandem rem: quoties enim regionibus fundus diuiditur, toties ex vno fundo duo fundi plane separati fiunt, quorum neuter amplius *pars* appellari alterius potest, sed porius quaelibet pars peculiare quoddam *totum* post realem diuisionem, a testatore factam esse incipit *L. 6. §. 1. ff. comm. praed.* Perinde itaque est, ac si testator dixisset: *Titio fundum, qui cis viam est, do, lego, Seio fundum, qui trans viam est, do, lego:* nam et *pars fundi fundus recte appellatur L. 34. in fin. de leg. 1.* Quod si vero legatarii ne ad eandem quidem rem sunt vocati: inter eos ius accrescendi non potest non cessare per LL. supra §pho 6. laudatas. Recte itaque MANTICA *cap. 10. n. 7. coniect. ult. volunt.* ait: *Igitur coniectura voluntatis in eadem re, non in diuersa ius accrescendi inducit, imo nec in eadem, quando partes ita fuerint*

Vel indiuisa, *distinctae, ut possint AD OCULUM DEMONSTRARI.* Iam accedo ad posterius regulae membrum, quando nempe vni *totum*, alii vero pars eiusdem totius *intellectualis* seu *indiuisa* e. g. pars dimidia, tertia, quarta, legata. Illustrationis causa hanc speciem pono: *Titio fundum, Seio eiusdem fundi partem dimidiam do, lego.* Finge Seium deficere, et pars eius vacans accrescet Titio, qui proinde totum fundum solus habebit. Ast finge deficere Titium, et Seio nihil accrescet; sed parte dimidia sibi relicta contentum eum esse oportebit, parte Titii vacante apud heredem, a quo legatum, remansura, vel ad proprietatem, in casu vsusfructus legari, reuersura, id quod sic probo: Iis legatariis ius accrescendi competit, qui in ea causa sunt, ut id, quod eis relictum, col-

lega.

legatario concurrente, in solidum obtinere nequeant, sed partiri cum eo, et legato per partitionem imminuto contenti esse, necessum habeant (§. XIII). Atqui is, cui totum est relictum, parte quadam intellectuali eiusdem totius simul alii cuidam data, est in causa mox descripta, id quod per se clarum. Ergo. Huic ratiocinio iungo alterum: quicumque legatarii in ea causa non sunt, ut eorum legata per collegatarii concursum deminui necesse sit, eis nullum competit ius accrescendi (per d. § XIII). Atqui is, cui pars totius intellectualis data, ipso toto alii cuidam relicto, nunquam est in ea causa. Ergo. Propositio minor extra dubium est posita: nam, etiamsi concurrat collegatarius, cui totum est relictum, is tamen praeter id, quod demta parte alteri assignata, reliquum sit, nihil acquirit, adeoque ei, cui pars relicta, ea salva manet, concursu collegatarii nullatenus minuenda. Quodsi vero is, cui pars intellectualis data, nullum habet ius accrescendi: portio vacans eius, cui totum relictum, non potest non vel penes heredem, a quo relictum, remanere, vel in casu usufructus legati ad proprietarium reuerti. Iuuantur magnopere haec ratiocinia PAPINIANI doctrina, quam ab VLPIANO relatam legimus in L. 3. §. 2. ff. quib. mod. usufr. amit., ubi L. 3. §. 2. eiusmodi occurrit species, qua, usufructu ab initio duobus in solidum legato, idem usufructus alteri eorum in casum amissionis per repetitionem rursus legatus, aut non amplius in solidum, uti quidem ab initio, sed tantum pro parte, e. g. hoc modo: *Titio et Maevio usufructum do, lego; si Titius capite minutus fuerit, eundem usufructum pro parte tertia ei do, lego.* Contingit, Titium amittere usufructum capitis diminutione: et ex repetitione resumit partem tertiam usufructus, perinde, acsi statim ab initio ita legatum fuisset

Probatur d. regula 1) ex L. 3. §. 2. usufr. amit. ubi dicitur: si Titius capite minutus fuerit, eundem usufructum pro parte tertia ei do, lego. Contingit, Titium amittere usufructum capitis diminutione: et ex repetitione resumit partem tertiam usufructus, perinde, acsi statim ab initio ita legatum fuisset

E

relictum: *Maenio usufructum do, lego, Titio eiusdem usufructus partem tertiam do, lego.* En casum, quo *uni totum, alteri pars intellectualis eiusdem totius legata.* Quaeritur iam de iure accrescendi? Er ait PAPIANVS: *Si quidem Titius amiserit (suam scilicet partem tertiam,) totum socio accrescere, (vide, quod pars vacans accrescat toti): quod si Maenius amississet, non totum accrescere (nempe Titio), sed partem ad eum (Titium), partem ad proprietatem redire.* Ecce, si totum vacat, non accrescit parti, sed Titius potius parte sibi assignata contentus esse iubetur, parte residua, quam habiturus fuisset Maenius, si non defecisset, ad proprietatem reuertente. Apertum ex his simul fit, ius accrescendi non semper esse reciprocum, BRUNNEMANN ad *d. L. 3. §. 2.* Verum nec

2) Ex praesumpta testatoris voluntate.

frustra haec omnia, sed in ipsa testatoris praesumpta voluntate fundata: nam testatoris, qui ita legauit: *Maenio fundum do, lego, Titio partem dimidiam eiusdem fundi do, lego,* non alia fuisse voluntas censenda est, quam haec, ut nimirum in concursu uterque dimidiam partem haberet, quia impossibile est, ut, Titio partem fundi dimidiam vindicante, Maenius plus accipiat, quam dimidiam alteram *L. 23. C. de legat.* Sed cur testator Maenio non potius partem dimidiam fundi legauit, quam totum? aut quare Titio non aequè totum legauit, ac eum legauit Maenio? Sane, fortuito hoc sermone factum esse, credendum non est, sed, ut ratio quaedam mouerit testatorem ad diuersum in utraque persona legandi modum, necesse, et quaenam illa? Aliam profecto non facile excogitabis, quam hanc: nempe testator Maenio totum fundum legauit, non quasi veller, eum totum habere etiam tunc, quando cum eo Titius concurreret; quia sic voluisset impossibile, suamque tali legato stultitiam satis manifestam fecisset: sed potius ideo totum fundum Maenio legauit, ut ei prospiceret in casum, quo collegatarius deficiet,

ciet, quasi dicturus: *volo, ut Maevius post mortem meam totum fundum habeat, si forte Titius, cui dimidiam legavi, suam portionem non acquirat.* Pone igitur, Titium post testatoris mortem portionem suam vel sponte repudiare, vel impediri, quo minus eam acquirat: et voluntati testatoris Maevium ad totum fundum vocantis utique consentaneum est, ut accrescendi iure etiam totum obtineat, utpote neminis concursu minutum. Secus omnia se habent in persona Titii: huic enim testator non ita, ut Maevio, totum fundum legavit, sed potius partem tantum dimidiam: nempe satis ipso hoc facto indicavit, nolle se, ut Titius parte dimidia plus accipiat etiam tunc, cum propter deficientem Maevium concursum plus accipere posset: si enim hoc voluisset testator, ut Titius totum fundum haberet, cum totum habere, Maevio deficiente, poterit: utique ea facilitate totum ei legare potuisset, qua totum Maevio legavit, quod cum non fecerit, ius accrescendi prohibuisse, atque heredem in parte Maevii vacante Titio praetulisse censendus est. Eodem plane se res habet modo, cum testator vni fundum, alteri tertiam partem eiusdem fundi legavit: nam et in hoc casu, si voluisset ad eum, cui partem tertiam legavit, totum pervenire deficiente altero, sine dubio expressius hoc dicturus fuisset e. g. hoc modo: *Maevio fundum, Titio partem fundi tertiam do, lego; quodsi Maevius deficiet, totum fundum Titio do, lego:* conferantur omnino, quae in hanc rem a me in medium allata sunt §. X.

§. XVIII.

Collige ex his, quae §pho praec. disputata sunt, Ius accrescendi legatariorum per ius accrescendi plus unquam accipere posse, quam ei a testatore mox ab initio datum sit, id quod etiam VLPIANVS inculcasse videtur, cum decisioni papinianae inquam auget.

d. L. 3. §. 2. quib. mod. ususfr. amitt. hanc ipse rationem sub-

iungit: placet enim nobis, ei, qui amittit usufructum, ex eo, quod amittit, nihil accrescere; quae verba in hunc ego sensum interpretor: *Ei, qui usufructum amittit, ex eo, quod amittit, (ad- do, et quod testator in repetitione usufructus ei non denuo dedit: nam iuri accrescendi in usufructu repetito, quatenus repetitus est, aequè locum esse, acsi ab initio datus nunquam amissus fuisset, patet ex d. L. 3. §. 1.), nihil accrescit, et cur hoc? ideo nempe, quia usufructus a legatario amissus, et a testatore in repetitione ei non denuo datus usufructui similis existit, qui statim ab initio non est datus. Iam vero placet VLPIANO, ex eo, quod statim ab initio non est datum, vel datum quidem, sed amissum, et a testatore non amplius repetitum, nihil accrescere, quia nempe accresceret contra testatoris voluntatem, cum sic legatarius plus consecuturus esset, quam eum consequi testator voluit.*

§. XIX.

Regula de iure accrescendi, cum vni genus, alteri species certa legata.

Sed collige ex dictis §pho XVII. etiam hanc regulam: *Quoties vni genus, alteri species certa eiusdem generis legatur, toties inter legatarios ius accrescendi plane nullum est, excepto casu, quo legato generis legatum optionis inest: Quoties vero vni genus, alteri vero species eiusdem generis incerta legatur, toties si legatum speciei deficit, accrescit generi, nunquam vero si genus deficit, speciei accrescit. E. g. quaedam ira legavit: Titio, filio meo, fundum, quos pater eius mihi reliquit, do, lego, Felicissimo et Felicissimae fundum Gargilianum do, lego. Pone, fundum Gargilianum inter eos esse, qui testatrici a marito, patre Titii, relictis; pone porro legatariorum aliquem deficere: quaero, an locum ius accrescendi inueniat? Respondeo, quin inter Felicissimum et Felicissimam ius accrescendi locum habear, nullum est dubium propter regulam §pho XVI. traditam. Verum de iure accrescendi inter Felicissimum et Felicissimam iam non quaeritur, sed potius hoc in quaestione est, an his, Titio*

Titio deficiente, aut huic, illis deficientibus, aliquid accrescat? et respondendum, quod non, et quidem ideo, quia hic casus est simillimus illi, quo vni totum, alii vero pars eiusdem totius *diuisa* est legata: nam testatrix a toto fundorum corpore, quos Titio, filio, legauit, fundum Gargilianum deinceps auulsit, auulsam vero Felicissimo Felicissimaeque legauit, ita, vt sensus legati sit: *Titio, filio meo, fundos, quos a patre eius accepi, EXCEPTO GARGILIANO, do, lego, Felicissimo et Felicissimae fundum Gargilianum do, lego, L. 41. §. 3. de leg. 3.*, quo posito Titius cum Felicissimo et Felicissima plane non est vocatus ad eandem rem, neque necessum, partes concursu fieri. Ergo Titium inter et Felicissimum ac Felicissimam ius accrescendi non minus, quam in casu, quo vni totum, alteri pars eiusdem totius *diuisa* est legata, cessare debet. Idem simili quadam specie probat *L. 99. §. ult. eod.*, confer. etiam §. XVII. Dicam iam de exceptione, *Quid? si legatum optatis concurrat.* Huius illustrandae causa hoc vtor exemplo: *Titio seruum Stichum, Maenio seruum, quem voluerit, do, lego.* In hac specie, quia legatum Maenio datum non ita intelligendum: *Maenio seruum, quem voluerit, EXCEPTO STICHO, do, lego,* (Maenius enim ex testamenti verbis: *quem voluerit*, etiam Stichum optare potest *L. 99. de leg. 1.*), Maenius ad eandem cum Titio rem vere est vocatus, et quidem ita, vt vtroque legatario concurrente, et Maenio stichum optante, partes in Stichum fieri, atque cuiusuis legatum imminui necesse sit: si enim Maenius Stichum eligit, quod facere sine dubio potest: fieri amplius nequit, vt et Titius et Maenius Stichum, qui vtrique legatus est in solidum, habeant in solidum, sed parte dimidia vnumquemque contentum esse oportebit *d. L. 99. de leg. 1.* Iam vero inter eos, qui ad eandem rem ita sunt vocati, vt concursu partes

Quid? si res fieri, atque eorum legata imminui necesse sit, ius ac-
 cum legato crescendi esse, docui supra §. XIII. Progressum facio
 generis con- ad alterum regulae membrum, quod de eo casu loqui-
 currat lega- tur, quo vni genus, alteri species eiusdem generis, sed
 rum speciei incerta, legata e. g. in hunc modum: *Maeuio seruos meos,*
 incertae. *Titio vnum ex seruis cursoribus do, lego.* Hoc casu Titio spe-
 cies quaedam est legata, sed *incerta*, nec ad oculos demon-
 strabilis, quia testator nullum ex seruis cursoribus certum
 indiuiduum demonstrauit: tunc species certa foret, si testa-
 tor ita dixisset: *Titio ex seruis cursoribus STICHVM do, lego.*
 lam sic: si vni genus, alteri vero species *incerta* legata: tunc
 casus plane non est similis illi, quo vni totum, alteri vero
 pars eiusdem totius *diuisa* est legata: partem enim *diuisam*
 appellamus partem visibilem, seu ad oculos demonstrabi-
 lem, adeoque cum reliquis partibus non amplius confusam,
 sed discretam et quasi avulsam, qualis non potest dici spe-
 cies *incerta*, utpote quae potius similis est *parti diuisae*, i. e.
 tali, quae inter reliquas partes demonstrabilis non est, sed
 cum eis adhuc confusa in indiuiduo assignari nequit: siqui-
 dem in hac specie: *Titio vnum ex seruis cursoribus do, lego*, nul-
 lus seruis cursor est demonstrabilis, qui Titio prae reliquis
 à testatore fuerit assignatus. Hoc vero posito casus, quo
 vni genus, alii *cuidam species incerta* eiusdem generis est legata,
 cum eo casu conuenit, quo vni totum, alii pars eiusdem totius
indiuisa est legata: genus nempe hic ut totum consideratur,
 species vero ut pars. Ergo etiam casus prior ex iisdem
 principiis est decidendus, ex quibus casum posteriorem de-
 cidimus dedi §. 17. collat. cum iis, quae de partibus diuisis
 ac indiuisis dixi §. 9. Enimvero Maeuio in nostra specie
 omnes serui legati sunt, nullo excepto, quia nullus demon-
 strari potest, quem testator exceperit. Quoniam vero res-
 stez

stator etiam Titio vnum ex seruis legauit, Maeuius, hoc concurrente et legatum suum petente, vtrique in ea causa est, vt legatum ipsi relictum concursu deminui necesse sit: iam enim amplius omnes seruos habere non potest, Titio vnum subducente. Accrescet igitur Maeuius, Titio deficiente, ille seruus, quem hic habiturus fuisset, si ad legatum cum Maeuius concurrisset (§. 13.). At vero Titius, Maeuius deficiente, nihil habebit praeter vnum seruum, eumque non vi iuris accrescendi: cum id tantum nobis accrescere dicatur concursu collegatarii deficiente, quo carere debuissimur collegatario concurrente. Iam vero Titius, Maeuius etiam concurrente, tamen non debuisse carere seruo sibi relicto. Sed quare Titio non accrescunt reliqui serui Maeuius deficiente? Respondeo ideo, quia testator ei plures vno seruos non dedit, lex autem nihil dat, quod a testatore non est datum. Confer. praeter d. §. 17. etiam §. 10. Caeterum de his, quae §§. 17. et 19. in medium allatae sunt, speciebus legi merentur DVARENVS L. i. cap. 7. *prope fin. de iur. accresc.* et KOENIG in *diff. inaug. de iure accrescendi in legat.* Altorf 1736.

§. XX.

Sed quid, si vel quibusdam, vel omnibus legatariis An inter ad eandem rem vocatis partes intellectuales sunt assignatae? an verbis tantum inter eos locum habet ius accrescendi? In labyrinthum coniunctos ius accrescendi hic incido fere inextricabilem; hic filo mihi opus aridnaeo. Nuspiam profecto in toto iure tanti disensionum fluctus existunt, quam in famosissima eaque vexatissima quaestione, an inter verbis tantum coniunctos (sic enim eos in scholis vocant, qui ad eandem rem, sed adiectis partibus intel. Analibus sunt vocati §. 2.), ius accrescendi sit? quam quaestionem plerique affirmant, quos inter praeter caeteris lau-

DD. affir-
mantes,
negantes,

laudari merentur SCHAMBOGEN et VINNIUS ad §. 2. *Inst. de legat.*, nec non LAVTERBACH in *Colleg. theor. pract. t. de legat. §. 69. sq.*, DVAREN. *L. 1. c. 10. de iur. accresc.*; sed et negant non pauci, ac pernegant, magna cum fiducia stantentes, extra dubitationis aleam esse positum, inter eos, quibus partes adscriptis restator, ius accrescendi locum nunquam inuenire. In horum censum praeter CVIACIVM, cuius verba supra recitavi §pho XI., refero HOTOMANNVM, qui, etiamsi de iure accrescendi inter re tantum, et mixtim coniunctos propter veterum ICtorum dissensus, in quos incidisse sibi visus est, nihil certi asserere ausus fuerit, tamen de iis, quos verbis tantum coniunctos apellant, *Lib. 6. Obs. in ius civ. cap. 12.* haec habet: *in tertia vero coniunctio- ne, quae sit verbis tantum, nullum esse ius accrescendi, sine vlla varietate conuenit etc.*: prorro hac refero ANT. FABRVM *Decad. 49. Err. pragm. 4.*, vbi n. 4. ait: *sed quod volunt DD., inter verbis tantum coniunctos locum esse iuri accrescendi, falsissimum est, nulloque iuris loco comprobatum, in sequentibus plena hunc errorem manu refutans.* Eandem cum Auctoribus mox laudatis viam ingrediuntur VOETIVS ad *tit. ff. de legat. n. 61. per tot.*, FACHINEVS *Controu. iur. L. 5. cap. 50.*, COCCETI *Iur. civ. controu. Lib. 31. sq. quaest. 4. de iur. accresc.*, ZOESIUS ad *L. vn. Cod. de caduc. toll. quaest. 3. in med.*, MENKEN *dist. de iure accresc. vendita heredit. ad emtor. pertinente §. 7.* His addo MEIERI *Colleg. argentorat. tit. de legat. §. 42.*, vbi ius accrescendi verbis tantum coniunctis strenue negatur, et DD. nonnulli, praeter iam nominatos, idem sentientes laudantur, quibus alios addit LAVTERBACH c. 1. In hac ergo ambiguitate quae tandem sententia amplectenda? Agedum! videamus, an non tutissimum sit, media incedere via. Nimirum et hoc loco generali illi principio insistendum puto:

puto: Quoties legatarii ad eandem rem partibus intellectualibus ad Regula ge-
 lectis vocati in ea causa sunt, ut eorum legata concursa imminui, et neralis de
 sse partium adscriptarum partes fieri necesse sit, toties inter eos ius ac- iure accres-
 crescendi est: quoties vero in ea sunt causa, ut singulorum legata, cendi lega-
 tamen omnibus concurrentibus, tamen salva maneant, nec in tatariorum,
 partes scilicet partes adiectas necesse sit, toties inter eos ius accrescendi quibus par-
 non est. Constans hoc inter romanae iurisprudentiae peri- tes adscrip-
 tos principium fuisse, adeo claris hucusque legibus legum- tac,
 que argumentis euictum dedi, ut hac de re dubium aliquod
 superesse vix queat. Possit autem contingere, ut legatarii,
 quibus partes mox ab initio a testatore datae, suorum lega-
 torum detrimentum atque imminutionem propter collega-
 riorum concursum patiantur, sed posse et secus euenire,
 ex sequentibus abunde patebit. Quare Doctores vtrinque
 errare mihi videntur, dum vel ius accrescendi inter verbis
 tantum coniunctos plane in exilium agunt, vel eidem, quod
 faciunt plurimi, locum vniuersaliter faciunt. Ego in eo iam
 sum, ut mentem meam plenius exponam.

§. XXI.

Si testator partes intellectuales inter legatarios mox Partes lega-
 ab initio fecit: tunc vel partes determinatae sunt, vel indeter- tarius ad-
 minatae. Dico autem partes determinatas, quoties mox ab scriptae vel
 initio apparet, quae, ac quanta cuiuslibet pars sit assignata, determinatae sunt, vel
 indeterminatas vero appello, cum demum ex euentu concur- indetermi-
 sus apparet, quae, ac quanta cuius pars data. Nihil ut natae.
 perspicuitati desit, exemplis rem illustrabo. Si legati verba
 ita concepta: *Tito et Seio fundum Tusculanum ex aequis partibus*
do, lego; partes determinatae legatariis sunt datae, quia, cum
 duo sint legatarii, statim ab initio constat, quanta cuique
 pars data, nempe dimidia. Idem dicendum de casu, quo
 vni e. g. pars quarta, alteri tres quartae legatae. Verum
 F pone,

pone, testatorem ita legasse; *Titio et posthumis fundum pro partibus virilibus do, lego*: sane partes indeterminatas hic comprehendis, quia non statim ab initio apparet, quae, ac quanta cuique pars sit relicta, sed dependet hoc ex concursu, natiuitate et numero posthumorum, adeo, ut, si vnus natus fuerit; pars dimidia Titio, pars altera posthumo: sin duo nati fuerint; pars tertia Titio, et reliquae duae tertiae duobus posthumis: denique si nullus natus fuerit; soli Titio totus fundus debeatur *L. 6. et 7. ff. de reb. dub.* Verum et ad hoc est respiciendum, an partes adiectae sint quibusdam tantum legatariis, an vero omnibus: et si hoc; an partes omnibus adiectae simul sumtae toto maiores sint, vel non. Faciunt hae distinctiones ad varias leges, quarum altera alteri prima facie manifeste contradicere videtur, facili negotio conciliandas. Iam fiat applicatio regulae §pho praecedente positae ad casus speciales.

§. XXII.

Regula specialis de casu, quo quibusdam partes determinatae, alii euidam totum est datum.

Quoties quibusdam tantum legatariis partes intellectuales determinatae ab initio sunt adscriptae, simul vero alii cuidam totum est datum, toties ius accrescendi inter legatarios, quibus partes sunt adscriptae, locum habet, si tertii, cui testator totum legauit, concursus eorum legata minuit, ita tamen, ut ultra partes singulis adscriptas nil vnquam accrescat: cessat vero ius accrescendi inter eos toties, quoties concursus tertii adiecti eorum, quibus partes adscriptae, legata non minuit. Regulam priorem illustrat talis species: *Maecio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego, probat vero, praeter principium §pho XX. in medium allatum, famosa Lex 41. pr. de leg. 2., cuius prolixam explicationem dedi supra §. XI. Addidi: ita tamen, ut ultra partes singulis adscriptas nil vnquam accrescat.* Pone, in data specie Seium deficere: et eius portio vacans, quae pars fundi quarta

quarta fuisset, si cum reliquis concurrisset, et Maenio, et Titio accrescit hac proportione seruata, vt partis quartae vacantis Maenio vna tertia, Titio vero duae tertiae accedant (d. §. XI). Iam pone vltierius, etiam Titium deficere propterea, quod e. g. conditio ei fortasse adscripta non existat: et Maenio ex parte Titii vacante iterum aliquid accrescit, tantum nempe, quantum dimidiae fundi parti adhuc deest, residuum vero ad testatoris heredem pertinet. Sed si ponas, primum deficere Titium, deinde et Seium: tunc Maenio ex sola parte Titii vacante iam tantum accrescit, vt partem fundi dimidiam habeat integram, quo fit, vt ei ex portione Seii vacante deinde nihil amplius possit accrescere: partim ideo, quia eius portio, quamprimum per Titii defectum suae integritati semel restituta, Seii concursu iam non amplius potest imminui, adeoque fundamentum iuris accrescendi corrui: partim vero ideo, ne plus ei tribuatur, quam testator tribuit, vtpote qui eidem partem fundi dimidiam, et nihil praeterea, adscripsit, conf. §. X. Et iam CUIACIVM intelligimus, qui *L. 24. Obs. cap. 37.* de nostra specie haec habet verba: *deficiente Seio et Titio dicerem, nihil, (scilicet vltra partem dimidiam), accrescere Maenio, quia dimidiam tantum eum habere testator voluit, et verissimum, excessu dumtaxat interueniente iuri accrescendi locum esse, h. e., Maenio supra dimidiam nihil accrescit, quia ius accrescendi eatenus tantum locum habet, quatenus testator in legando excessit, vt singuli id, quod cuius est datum, in concursu integrum obtineré nequeant. Accedit iterum praesumpta testatoris voluntas: si enim haec eius fuisset mens, vt Maenius totum fundum haberet vtroque collegataro deficiente: totum ei dare facile potuisset e. g. sic: *Maenio ac Seio fundum lego, Titio eundem lego.* Iam vero nota est*

ICris regula, *verba testamenti non esse extendenda, si disponenti facile hoc fuisset exprimere*, BRVNNEMANN ad L. vn. §. ii. Cod. de caduc. toll. n. 59. In hanc regulam certe impingeret, qui verba partem exprimentia extenderet ad totum. Dixi quaedam huc pertinentia Spho. 17. prope finem. Caeteram fieri etiam posse, ut concursus tertii legata eorum, quibus partes sunt datae, non minuat, de quo casu posterior regula loquitur, hoc exemplo probatur: *Maeuio partem fundi tertiam, Seio partem tertiam lego, eundem fundum Titio lego.* Demus, omnes tres concurrere: et Maeuius concursu hoc non obstante partem fundi tertiam integram, et Seius suam tertiam itidem integram habebit, parte demum residua ad Titium peruentura. Solus igitur Titius in ea causa est, ut eius legatum in partes scindi concursu, atque deminui, necesse sit. Solus ergo iure accrescendi gaudet alterutro collegatariorum, vel etiam utroque deficiente (§. XIII.). In Maeuium vero Seiumque, quia in ea causa non sunt, ut eorum legata concursu imminui, atque partitionem pati debeant, ius accrescendi plane non cadit (§. XIII et XX.): si enim caderet: deberent plus accipere, quam eis ab initio datum, id quod fieri nequit (§. XVIII.)

§. XXIII.

Regula specialis de causa, quo omnibus legataris partes determinatae sunt adscriptae.

Quoties omnibus legataris partes intellectuales determinatae ab initio sunt datae, toties, si partes omnibus datae toto maiores sunt, inter eos eorumque ius accrescendi est, donec partes singuli non minutae habeant: quoties vero partes omnibus datae toto maiores non sunt, toties inter legatarios, quatenus ad partes vocati, ius accrescendi nullum locum inuenit. Casus prior adest in hac specie: Maeuio partem fundi dimidiam, Seio partem dimidiam, Titio eiusdem fundi partem dimidiam lego. Hoc casu plus certe est in omnibus partibus simul sumtis, quam in toto. Iam vero per

per se patet, quod omnium legatariorum concursu existente singuli portiones sibi adscriptas in solidum capere nequeant, sed portionibus deminutis, e. g. in nostra specie dimidiis ad partes tertias redactis, contenti esse debeant, quoties partes eis adscriptae totum superant. In ea ergo sine dubio causa sunt legatarii, ut inter eos ius accrescendi locum habeat (§. XX). Verum ita inter eos ius accrescendi locum non habet, ut aliquis eorum plus, quam dimidiam partem fundi, obtineat. Vnde Maenius, utroque collegatario licet deficiente, tamen plus parte dimidia non consequitur. Et hoc ipsum est, quod dixi, legatarios eousque ius accrescendi habere, *douec partes singuli non minutar habeant*, quae limitatio cum sit prorsus eadem cum ea, quam §. pho praeced. vidimus, eodem etiam prorsus modo euincitur. Caeterum haec omnia in fere simili quadam specie etiam supra §. XII probata reperies. Propero ad posterius propositionis meae membrum. Exemplum id illustrans atque in scholis, quia et PAVLVS eo vsus in *L. 89. de leg. 3.*, frequentissimum hoc est: *Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego.* In hoc enim casu partes legatariis adiectae toto maiores non sunt: nam data est cuique dimidia, vel, si tres sunt legatarii, singulis pars tertia. Atqui duae dimidiae, aut tres tertiae toti aequipollent, non vero id superant. Verum et accrescendi ius inter eos nullum esse, facile probatur. Nimirum quoties partes legatariis adiectae toto maiores non sunt, fieri sine dubio potest, ut, etiamsi ad legatarum omnes concurrant, et suas portiones vindicent, tamen singuli sine deminutione eas accipiant, quia tunc in toto, si non plus, tantum certe adest, quantum ad portiones integras singulis legatariis praestandas sufficit. Ergo legatarii ad eandem rem ita sunt vocati, ut necessum non

Cessat ius accrescendi inter legatarios, quibus cum clausula, ex partibus aequis, legatur.

fit, partes singulis datas concursu deminui, seu ad partes redigi minores. Hoc vero posito ius accrescendi inter eos non potest non cessare (§. XX. XIII. V. XII). Accedit rursus praesumpta testatoris voluntas. Is enim, si, dum legatum ita concepit: *Titio et Seio fundum EX AEQVIS PARTIBVS do, lego*, in ea sententia fuisset, ut alter legatariorum, altero deficiente, totum fundum in solidum haberet: sine partium mentione legatum fuisset concepturus, vel saltem illud ita concipere debuisset, hoc scilicet modo: *Titio et Seio fundum do, lego* (§. X. et §. XVII. in fin.). Verum et clarae mihi leges adstipulantur. Omitto iam *L. 1. §. ult. ff. de usufr. accres.*, porro *L. 80. et 89. de leg. 3.*, de quibus supra §. VII VIII IX. His unicum addo *L. penult. ff. de usufr. accresc.*, ubi casus, quo duobus eadem res *aequis portionibus* legata, in terminis extat. Et negat PAPIANVS claris verbis, inter legatarios ius accrescendi esse, quod non minus *separati* esse videantur, quam ii, quibus eadem res *singulis ab hereditibus* legata. Vtroque casu *separati* a Icto vocantur, quia utroque *coniunctio* deficit, qualis ad ius accrescendi requiritur, cum neutro casu partes concursu fiant, vid. §. XV. Sed cur in mea propositione verba adieci: *quatenus ad partes vocati*? Respondeo, ideo, ut dubio cuidam occurrerem, quod subnasci facile posset. Finge, aliquem ita scripsisse: *Titio ac Seio partem dimidiam fundi do, lego, Sempronio eiusdem fundi partem dimidiam do, lego*: et dices, in hac specie partes omnibus datas non esse maiores toto, cum duae tantum partes dimidiae sint relictae, quae totum utique non excedunt, et tamen ius accrescendi inter legatarios esse: siquidem nullum sit dubium, quin Seio deficiente eius portio accrescat Titio. Respondeo, distingue, et concordabit scriptura. Titius ac Seius ad partem fundi dimidiam coniunctim, soli,

foli, et cum exclusione Sempronii sunt vocati, ad totum vero fundum vocati sunt vna cum Sempronio, ita tamen, vt testator illos in vnum quasi corpus redegerit, quia in vnam eandemque dimidiam eos coegit. Quatenus itaque legatum totius fundi spectamus, perinde est, acsi duo tantum adessent legatarii, quibus partes adscriptae, nimirum Titius ac Seius, qui in relatione ad Sempronium pro vna persona habendi *L. 34. pr. de leg. 1.*, deinde Sempronius. Atqui inter hos nullum est ius accrescendi. Deficiente enim Sempronio, eius portio vacans nequaquam accrescit Titio ac Scio, sed neque horum deficientium portio accrescit Sempronio: nam ita inter se omnes comparati sunt, vt, sicut Sempronius suo concursu non minuit partem Titio ac Scio relictam, ita nec hi suo concursu partem Sempronii minuant. Quodsi vero Titius ac Seius considerantur in relatione ad se inuicem, et quatenus ad vnam partem dimidiam coniunctim vocati, inter eos quidem omnino locum habet ius accrescendi; verum tales legatarii non sunt, quibus partes adscriptae: nam ad dimidiam fundi partem non ex partibus, sed simpliciter, et in solidum sunt vocati. Non ergo mirum, quod inter eos quoad hanc partem ius accrescendi locum habeat. Sed dixi de hac re pluribus §. XVI. Placet adhuc aliam similem speciem apponere: Titio dimidiam fundi partem do, lego; ex qua parte Titio fundum dedi, legavi, ex eadem Scio eum do, lego; Sempronio dimidiam fundi partem do, lego. Hoc casu iterum duae tantum partes dimidiae a testatore factae, ad quarum vnam testator Titium ac Seium coniunctim, Sempronium vero ad dimidiam alteram vocavit arg. *L. 15. ff. de hered. inst.* et *L. 142. vers. Lucius Titius ff. de V. S.* Vnde quoad ius accrescendi idem iuris, quod in specie illa priore.

Cessat etiam
 ius accre-
 scendi pro-
 pter partes
 non quidem
 expressas,
 sed tamen
 intellectas.
 Probarur ex
 L. 20. de
 leg. 2.

Regulam §pho praeced. traditam, quod inter legata-
 rios, quibus partes toto non maiores adscriptae, nunquam
 ius accrescendi sit, sic extendo: *Quoties testator legatariis par-
 tes quidem ab initio expressis verbis non adscripsit, adscriptae tamen
 legibus intelliguntur, toties inter eos ius accrescendi cessat.* Probat
 hoc a) L. 1. §. ult. ff. de usufr. accresc. de qua dixi supra §.
 VII. Probat hoc b) L. 20. de leg. 2. Ibi casus occurrit, quo
 res quaedam duorum communi seruo legata. In hoc casu,
 quia seruus capax non est legati ex persona propria conse-
 quendi, legatum per seruum dominis acquiritur §. 3. *Inst. per
 quas pers. cuiq. acquir.* Pone iam, alterum dominorum omit-
 tere suum legatum, et quaestio incidit, an eius portio va-
 cans alteri domino accrescat? CELSVS, qui auctor est d.
 l. 20., respondet, quod non, hanc adiiciens rationem: *non
 enim coniunctim, sed partes legatas: nam ambo si vindicarent, eam
 quemque legati partem habiturum, quam in seruo haberet.* Ecce!
 ideo negat ICRUS, iuri accrescendi locum esse, quia legata-
 riis partes sunt legatae; non quidem verbis expressae, sed
 tamen subintelligendae: sic enim legatum accipiendum,
 quasi testator rem statim ab initio dominis legauerit pro
 portionibus dominicis, h. e., pro partibus aequalibus, si ex
 aequalibus serui dominium haberent, pro inaequalibus vero,
 si ex inaequalibus. Ad impediendum ius accrescendi nem-
 pe hoc sufficit, quod legatarii partes non habeant concursu
 demum, sed mox ab initio, nec refert, an partes illae verbis
 exprimantur, an vero intelligantur, modo, ut iam dixi, non sint
 partes, quas concursus duntaxat efficit. Sane si in praesenti
 specie dominorum partes tales essent, quas concursus facit:
 non possent non partes aequales habere L. 19. §. ult. de
 leg. 1., id quod tamen d. Legi 20. non minus, quam Legi 1. §.
 1. ff.

i. ff. de usufr. accresc. repugnat. Sed quare mox laudata L. 1. Conciliatio
 §. 1. de usufr. accresc., quae casum exhibet, quo communi d. L. 20. de
 duorum seruo usufructus relictus, vno horum domino leg. 2. cum
 rum usufructum repudiante vel amittente alteri ius ac L. 1. §. 1. de
 crescendi tribuit his verbis: *denique apud Iulianum L. 35. Digest.*
quaeritur, si communi seruo usufructus sit relictus, et utrique domino
acquisitus: an altero repudiante, vel amittente usufructum, alter
totum habeat? et putat, AD ALTERVM TOTVM PERTINE-
RE? Manifesta sane antinomia adesse videtur inter d. L. 20.
 de leg. 2. et L. 1. §. 1. de usufr. accresc. Non pauci decisionem
 d. L. 1. §. 1. non tam iuri accrescendi, quam iuri potestatis
 dominicae adscribendam esse statuunt, ius accrescendi inter
 dominos, quorum communi seruo legatur, plane eliminan-
 tes, DVAREN. L. 1. cap. 13. de iur. accresc., VOET. ad ff. tit.
 de usufr. accresc. §. 7., DONELL. L. 10. cap. 23. Lit. F. et G.
 Ut facilius resolutio euadat, notandum, in L. 20. de leg. 2. de
 proprietate, in L. 1. §. 1. de usufr. accresc. vero de usufructu,
 communi seruo legato, sermonem esse. Iam vero hunc
 inter et illam hoc intercedit discriminis, quod usufructus,
 veteri praesertim iure, de quo vid. L. 15. et ult. C. de usufr.,
 sit ius valde personale, haerens in persona serui, adeo, vt,
 quamuis usufructus per seruum domino acquiratur, tamen
 serui potius, ad quem testamenti verba directa, quam do-
 mini persona sit inspicienda d. L. 1. §. 1., quae omnia in pro-
 prietatis legato secus se habent. Vnde sit, vt in usufructu
 communi seruo legato ipse seruus pro legatario principali
 habeatur, et sic magis vnus, quam duo sint legatarii, quo
 ipso efficitur, vt hoc casu nulla adit coniunctio, vtpote
 quae non, nisi inter plures, subsistere potest, adeoque et
 ius accrescendi nullum. Vnde omnino cum iis facio, qui
 id, quod in d. L. 1. §. 1. dicitur, nempe usufructum, quem
 G domi-



dominorum alter repudiauerit, vel amiserit, ad alterum pertinere, non tam iuri accrescendi, quam potius iuri seruitutis adscribendum putant. Nimirum hoc ipsum, quod in usufructu seruo communi legato huius persona principaliter inspicere debeat, facit, ut usufructus ab alterutro domino amissus vel repudiatus reueri ad proprietarium nequeat, utpote seruo illo, qui pro usufructuario principaliter habendus, adhuc uiuente. Necesse igitur est, ut ad seruum ipsum redeat pars usufructus amissa. Haec uero, quia seruus nihil sibi, sed omnia domino acquirit, rursus domino acquiritur: at non potest acquiri illi, qui amisit, *L. 3. §. 2. in fin. ff. quib. mod. usufr. amit.* Necesse ergo est, ut acquiratur alteri, non quidem iure accrescendi, quippe quod et propter coniunctionis defectum, et quia dominis partes adscriptae esse intelliguntur, locum non inuenit, sed potius vi iuris seruitutis, cuius ea est efficacia, ut id, quod per communem seruum acquiritur, alterutro domino non acquirente, alteri soli acquiratur *L. 1. §. 4. in fin., L. 7. §. 1., L. 9. ff. de stipul. seru.* Non mediocre his, quae haecenus de usufructu communi seruo legato dicta, robur accedit ex sequentibus uerbis *d. L. 1. §. 1.* *Et licet dominis usufructus non aequis partibus, sed pro dominicis acquiratur: tamen PERSONA EIUS (serui), NON DOMINORVM, INSPECTA, ad alterum ex dominis pertinere, non proprietati accedere.* Ex quo concludo: quodsi igitur dominorum personae fuissent inspectae, h. e. si potius domini pro principalibus legatariis fuissent habiti, (id quod in proprietate legata fit, quae ita personalis, uti usufructus, non est): pars usufructus amissa vel repudiata ad alterum dominorum propter praesumptam partium adiectionem non fuisset peruentura *L. 20. de leg. 2., L. 1. in fin., L. 3. pr., L. penult. ff. de usufr. accresc.* Caeterum quam-

quamvis ius accrescendi locum non habeat in specie *L. 20. de leg. 2.*, quia res dominis *pro partibus dominicis* legata esse intelligitur: tamen, si hoc iuris accrescendi impedimentum subtrahas, dubium non est, quin in legatis proprietatis, etiam per seruum acquisitis, ius accrescendi obtinere locum queat. Pone e. g. hanc speciem. *Sticho, seruo Titii, et Pamphilo, seruo Seii, fundum do, lego*: hoc casu, quia in legatis proprietatis seruo relictis perinde est, ac si ipsi domino essent relicta, pars alterius vacans alteri domino omnino accrescit *L. 40. de leg. 2.*: sunt enim vocati ad eandem rem in solidum, sed partes habent concursu. Hoc loco legi etiam merentur, quae de isthac antinomiam apparente extant in *COLLEG. ARGENTOR. L. 7. t. 2. §. 4. sqq.*

§. XXV.

Veritas regulae §pho praecedente positae etiam in Olim ius accrescendi in legatis, quae olim non infrequentia fuere, *per damnationem* relictis conspicitur, in quibus locus iuri accrescendi nunquam fuit. Si enim *diuinctim* seu separatis orationibus relictis relinquebantur; singulis solidum, etiam existente concursu (§. V.): *si coniunctim*, seu eadem oratione; singulis partes debebantur, ita tamen, ut non capientis pars nunquam accresceret collegatario, *VLPPIANVS in Fragm. t. 24. §. 13.*, idque non ex alia ratione, quam quia in legatis damnationis coniunctim relictis partes a restatore singulis legatariis mox ab initio adiectae intelligebantur, *FABER Decad. 50. Error. pragmat. 2.*, *BOEHMER Diss. de verbis direct. et obliq. §. 25.* Prisci huius iuris vestigia non pauca in Pandectarum corporeprehendimus, quorum in specie refero *L. 7. ff. de leg. 2.*, ubi dicitur, in hac specie: *Titio ac Seio decem dare heres damnas esto*, Titio tantum quinque deberi, etiamsi Seius suam portionem capere non possit. An ideo fortasse, quia legatum

Ius accre-
scendi etiam
in legatum
quantitatis
cadit.

tum *quantitatis* est? ita putant DVARENVS *Lib. 1. cap. 7. in med. de iure accresc.*, ECKOLD *diff. de Iure accrescendi §. 7.*, PEREZ *ad L. vn. Cod. de caduc. toll. n. 11.* Verum vt ab his *cessionem faciam in casu, quo pluribus eadem quantitas legata e. g. hoc modo: Titio ac Seio decem do, lego, vel: Titio d. cem do, lego, Seio eadem decem do, lego, mouet me partim L. 15. §. 1. de leg. 1.*, ibi: *si quis VNAM summam filiabus legauerit, vt etiam de posthuma sentiret: si ea non est nata, superstiti SOLIDVM debetur: partim, quia ratio, quod in legatis quantitatis ius accrescendi ideo cesset, eoquod quantitates ipso iure diuisae, et sic mox ab initio inter legatarios partes factae censendae sint, valde est infirma: nam in L. 81. ff. ad L. Falcid. etiam de usufructu duobus legato dicitur, quod diuisionem recipiat, et ipso iure ad singulos partes pertineant, et tamen nullum est dubium, quin inter usufructuarios, quibus coniunctim usufructus legatus, locum habeat ius accrescendi, vid. *tot. tit. ff. de usufr. accresc.* Nempe in materia iuris accrescendi inter legatarios non tam hoc inspicitur, an lex partes faciat, quam hoc potius, an testator legatarios ad partes mox ab initio vocauerit, aut vocasse intelligatur. Vnde recte VOETIUS *ad tit. ff. de legat. §. 63.* inter collegatarios quantitatis ius accrescendi admittit, modo eis non legatae sint summae diuersae. Si enim hoc: aliud dicendum propter *L. 34. §. 3. et 6. de leg. 1.*, STRYK *ad Lauterb. Comp. Dig. voc. diu. iuncti.* Confirmatur mea sententia responso quodam Facult. Francof. apud HOPPIVM *ad §. 8. Inst. de legat.*, vbi ius accrescendi inrer legatarios in hac specie: *Gesalt ich denn ibnen insgesamt hiermit solche 3000. Rth. legire, admissum fuit. Similiter praecidiciis meam sententiam confirmant WERNHER P. 4. Obs. for. 106.*, HVBER *Praet. ad Inst. L. 2. r. 20. §. 27. et ad Pand. L. 30. sq. §. 12.* Ad reliquias legatorum damnationis cum*

BOEH-

BOEHMERO d. diff. §. 25., VOETIO c. l. §. 60. *prope fin.*,
ECKOLDO diff. cit §. 11., CVIACIO ad VLPIANI *Fragm.*
tit. 24. §. 13. apud SCHVLTING. in *Jurispr. Ante-Iustin.* n. 33.,
qui *seq. n. 34.* in eandem ipse sententiam concedit, et GOED-
DAEO ad L. 142. de V. S. n. 12., porro refero tres famosas le-
ges, nempe L. 16. pr., L. 24. §. 9. et L. 84 §. 8. de leg. 1., quae,
nisi vel intelligantur de legatariis *verbis tantum coniunctis*,
quod quoad duas priores facit FABER *Decad. 49. Err. 4 n. 6.*
et 7., vel ad damnationis legata trahantur, certe cum de-
cantatis et fere indubitatis iuris principiis manifeste pugna-
bunt: probabunt enim, ne quidem inter eos, qui *et verbis*,
et *re coniuncti* sunt, ius accrescendi esse. Verum nec con-
iecturae defunt, quibus valde probabile redditur, dictas
leges de damnationis legatis esse exaudiendas, quas vide
apud VOETIVM et GOEDDAEVM c. 11. Denique legatis
per damnationem relictis in hoc passu paria esse omnia *fidei-*
commissa, utpote non minus, quam illa, *per manus heredis*
praestanda, et in quibus proinde testator aequae, ac in lega-
tis damnationis, partes mox ab initio adiecisse intelligen-
dus sit, docet FABER *Decad. 50. Error. pragmat. 1. n. 10. sq.*, cui
accedit SCHVLTINGIVS c. l. n. 34.

§. XXVI.

Posteriori membro regulae §. XXIII. propro Dubium ex
fitae, quod scilicet inter legatarios, quibus partes deter. L. 89 de
minatae, totum non superantes, adscriptae, ius accrescendi leg. 3. resol-
locum non habeat, oppones L. 89. de leg. 3, ubi legatariis
ita coniunctis: *Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego*, ius
accrescendi perspicue asseritur, imo non solum ius accre-
scendi, sed et, quod maius est, ius praelationis in vsu iuris
accrescendi. Verba autem haec sunt: *si vero verbis quidem*
coniunctus sit, re autem non: quaestio est, an CONIUNCTVS po-



tior sit? et magis est, ut et ipse praeferatur. Quid ad hoc? Facilis est responsio. Nam, etiamsi de eo iam nihil dicam, quod inter DD. ingens lis sit, quis in *d. L. 89. coniuncti*, qui praeferrari debeat, nomine intelligendus, an *re tantum*, an *re et verbis simul*, an vero *verbis tantum coniunctus*? conf. GOTHOFRED. *ad d. L.*, nec non SCHILTER *Exerc. ad Pand. 17. §. 60.*; etiamsi porro ultro concedam, sub *coniuncto* illo, qui praeferrendus, intelligendum esse *coniunctum verbis tantum*: tamen hoc regulam a me propositam non infringit. Ego enim nullibi dixi, inter *verbis tantum coniunctos nunquam* locum habere ius accrescendi, quid? ipse §. XXII. dixi: *Quoties quibusdam legatariis partes intellectuales determinatae ab initio sunt adscriptae, simul vero alii cuidam totum est datum, toties ius accrescendi inter legatarios, quibus partes sunt adscriptae, locum habet, si tertii, cui testator totum legavit, concursus eorum legata minuit.* Iam sic: *d. L. 89. ex instruto agit de iure praelationis inter legatarios quoad ius accrescendi*, id quod ipsa docet legis inspectio. Iam vero ius praelationis necessario praesupponit duos, qui de prioritare certent, et quidem duos in diuerso coniunctionis genere: cum ii, qui in eodem sunt coniunctionis genere, iure aequali gaudeant. Si ergo de iure praelationis coniunctorum verbis tantum sermo: casum ante oculos habeamus, necesse est, quo alius cum eis concurrat, alia propositione vocatus, e. g. hunc: *Titio et Seio fundum acquis partibus do, lego, Sempronio eundem fundum do, lego.* Deficit Seius, et cuiam eius portio accrescit? Respondet PAVLVS in *d. L. 89.*, *magis est, ut et ipse* (scilicet Titius, qui verbis deficienti coniunctus est), *praeferatur*, Sempronio nempe, qui deficienti Maevio re tantum iunctus. Recte: hoc enim casu Titio ac Seio tertius quidam fuit adiunctus, cui totus fundus legatus. Iam vero huius tertij

terti concursu legata Titio ac Scio relicta non possunt non minui, et hoc ipsum in causa est, cur Titius ac Seius inter se mutuo iure accrescendi gaudeant, non gauisuri, si soli fuissent, nullo tertio adiecto. Caeterum recurras velim ad §. XI, vbi de casu simili, ex *L. 41. pr. de leg. 2. petito*, prolixè dixi. Sed cur ibi ad partem dimidiam vacantem concurrebat vterque, hic vero tantum vnus, Titius nempe, excluso Sempronio? Respondeo, hanc esse differentiam, quod in casu *L. 41. de leg. 2.* deficienti nullus verbis, sed ambo re tantum, fuerint coniuncti, in praesenti vero specie Titius deficienti Maevio non solum re, sed et verbis, Sempronius vero re tantum. Patet ex hoc, coniunctionem verbalem, licet per se inepta sit ad ius accrescendi producendum, facere tamen posse, si cum reali coniuncta est, vt is, qui deficienti verbis coniunctus, iure praelationis gaudeat prae re tantum coniuncto.

§. XXVII.

Haecenus de partibus intellectualibus determinatis Regula de legato adscriptis. Videamus iam de indeterminatis. Quo iure accrescendi legatarij ad eandem rem ex partibus intellectualibus indeterminatis vocati, toties inter eos ius accrescendi est. Probatur haec thesis a) ex eo, quia legatarij, quibus partes determinatae adscriptae, partes ab initio, et ante concursum vere nullas habent, sed partes demum concursu fiunt: quamvis enim testator legatum verbis conceperit partes significantibus, et sic legatarij partes iam ab initio habere videantur: tamen partes illae sunt plane incertae, de quibus ante concursum nec constat, nec constare potest, quae et quanta cuiusuis pars sit futura, et an non ipsum fortasse totum (§. XXI.). Ergo, cum non esse et non apparere idem sint, perinde esse debet, ac si nullae partes essent adiectae, sed

sed ab initio totum simpliciter datum, quod proinde ex testatoris voluntate etiam tamdiu retinet collegatarius, donec id collegatariorum concursu scindi in partes, atque singulis ab eo aliquid abstrahentibus, deminui, necesse sit. Iam sic argumentor: Quoties legatarii ab initio solidum, partes demum concursu habent, toties inter eos est ius accrescendi *L. 3. pr. ff. de usufr. accresc.*, *L. 80. de leg. 3.* (§. XIII.). Atqui legatarii, quibus partes intellectuales indeterminatae sunt adiectae, sunt tales, qui ab initio solidum, partes demum concursu habent. Ergo etc. Probatum thesibus b) claris legibus. In *L. 6. et 7. ff. de reb. dub.* est casus, quo quis ex parte Titio et ex parte posthumo legatum dedit, et ait GAIVS: *Ego commodius dici puto, si quidem natus non est posthumus, minime eum partem facere, sed totum ad Titium pertinere, quasi ab initio ei solido relicto.* Igitur ex ICTI doctrina, si partes indeterminatae adiectae, perinde est, ac si ab initio solidum esset relicto, et proinde adiectio eiusmodi partium ius accrescendi non excludit. Quod vero dictae leges non de partibus determinatis, e. g. de dimidia Titio, et altera dimidia posthumo relicta, sed de virilibus sint exaudiendae, patet ad oculum ex sequentibus verbis: *sin autem natus fuerit, utrosque accipere, quantum cuique relicto est: ut, uno nato, pars Titio dimidia debeatur; duobus natis, tertia Titio debeatur; tribus natis, quia trigemini quoque nascuntur, quarta debeatur.* Plane si legatum ita fuisset conceptum: *Titio dimidiam, posthumo quoque dimidiam do, lego:* non nato posthumo, Titio praeter dimidiam nihil deberi crederem: quia sic ei pars certa ac determinata a testatore esset assignata, minime vero solidum; nos autem non oportet testatore esse liberaliores. Verum et alia est lex thesibus meam liquido probans, nempe *L. 16. §. ult. de leg. 1.* Ibi POMPONIVS: *sed et si testator Titio et post-*
humo

humis viriles partes dari voluisset, vel etiam id expressisset, totum legatum Titio debetur, non nato postumo. Neque etiam absolum est, *virilis partis* appellatione, si nemo alius concurrat, et totum venire *L. 145. de V. S.*: nam nihil aliud est *virilis portio*, quam quae viritim et in singula capita constituitur. Ergo, vno tantum capite reliquo, vna etiam erit portio virilis, totum videlicet.

§. XXVIII.

Dices, ea, quae haecenus docui, conuenire quidem *Quid iure veteris iuris principiis, sed iure nouo a Iustiniano in quam nouo obtineat in materia iuris accrescendi?* plurimis fuisse mutata, quod ad eos legatarios praesertim, qui verbis tantum coniuncti appellantur: his enim hodie indistincte tribuendum esse ius accrescendi, eoquod non praesumendus sit testator voluisse, vt partes vacantes penes heredem potius manerent, quam collegatariis accrescerent: neque obstare, quod his partes adscripserit: cum hoc non ideo factum esse censendum sit, quasi testator collegatario solidum denegare voluerit in casum non concurrentis collegatarii, sed potius ideo, vt constaret, quam quisque partem in diuisione, quam creditur futuram, habere debeat, partes non adiecturus, si tempore conditi testamenti sciisset, aut scire potuisset, a morte sua non omnes collegatarios concurfuros: igitur legatarios partes quidem habere ex verbis, et in casum concursus, solidum vero extra concursum ex testatoris praesumpta voluntate, hanc vero hodie in legatorum materia vnice spectandam esse, rescissis omnibus veteris iuris subtilitatibus. Respondeo, verum quidem esse, ea, quorum ratio olim tantum in verborum directorum singulari quadam vi ac efficacia fuit posita, hodie non amplius esse attendenda, vipote recentioribus constitutionibus *non verbis, sed voluntatibus testatorum fauentibus* §. 2.

Iust. de legat., et non verbis, sed ipsi rebus leges imponentibus L. 2. C. commun. de legat. Libenter igitur largior, cessare nostro aëuo, quae §. XXV. de legatis per damnationem relictis, quasi in iis ius accrescendi nunquam locum habeat, dicta sunt, quod ipsum ANT. FABER *Decad. 50. Err. pragm. 3. n. 12. sq.* etiam ad fideicommissa singularia extendit, postquam ea per *L. 1. et 2. C. commun. de legat.* per omnia legatis exaequata sunt, et una, uti verba sonant *L. vn. §. n. C. de caduc. toll., omni-*

ant hinc

Iustinianus in unam tracta concordiam. Ast hoc non aequè largior, IVSTINIANVM inter legatarios verbis tantum coniunctos iuri accrescendi uniuersaliter, prout plerique volunt, locum dare. Vtar famosissimo illo exemplo: *Titio et Seio fundum acquis partibus do, lego.* In hac et omnibus similibus speciebus etiam secundum constitutiones IVSTINIANI inter legatarios nullum ius accrescendi esse, adeoque ius verus in hac parte nihil mutatum ab Imperatore fuisse, statuo, securus hac in re virum acutissimi ingenii et in hisce paginis iam saepe laudatam ANT. FABRVM, qui *Decal. 50. Error. pragm. 3. n. 5.* magna cum fiducia scripsit: *S' quid ex iure veteri superest, quod a Iustiniano immutatum non fuerit circa ius accrescendi, vel hoc unum maxime est, VT INTER VERBIS TANTVM CONIUNCTOS NVNQVAM IURI ACCRESCENDI LOCVS SIT.* Dices: IVSTINIANVS tam in §. 8. *Iust. de legat.,* quam in *L. vn. C. de caduc. toll.* toties inter legatarios iuri accrescendi locum facit, quoties eis eadem res *contundim*, i. e., eadem oratione, relictæ. Atqui legatariis verbis tantum coniunctis eadem res *contundim* est relictæ. Ergo inter eos ius accrescendi esse debet. Respondeo, propositionem maiorem esse limitandam ita, ut toties inter legatarios ius accrescendi sit, quoties eis eadem res est relictæ *contundim*, scilicet

scilicet

quoties de iis loquitur, quibus *coniunctim* res aliqua legata, eos solos intelligere, quibus res sine partibus data, hoc est, re et verbis simul coniunctos. Statuo hoc partim ideo, quia in *d. §. 8.* ipse hunc significatum inculcat, dum eos, quibus *coniunctim* res data, ita definit: *CONIUNCTIM autem legatur, veluti si quis dicat, TITIO ET SEIO HOMINEM STICHVM DO, LEGO:* partim vero ideo, quia et veteribus hic fuit loquendi mos, ut de coniunctione in ordine ad effectum iuris accrescendi loquentes verba *coniunctim* legare, in oppositione ad verba *disiunctim* legare spectata, ad eos solos traherent, qui *re et verbis simul*, nunquam vero ad eos, qui *verbis tantum* coniuncti, id quod multis iuris textibus probari posset, nisi sufficere ea crederem, quae a me supra §. X. in fin. ex *L. 1. pr. ff. de usufr. accresc.* in hanc rem in medium allata. Neque solus sum, qui persuasum sibi haberet, IVSTINIANVM voce *coniunctim* eos solos indigitasse, qui et re, et verbis simul a testatore coniuncti. In eadem, praeter ANT. FABRVM, sententia sunt MEIERVS in *Colleg. Argentor. Tit. de legat. §. 42.*, COCCEII *Iur. civ. controu. tit. de legat. quaest. 9. de iur. accresc.*, SCHVLTING in *Iurispr. Antequistin. ad VLP. IAN. t. 24. §. 12. voc. coniunctim n. 28.* Accedit et aliud argumentum, hoc nempe, quod IVSTINIANVS in *L. vn. §. 11. C. de caduc. toll. de collegatariis coniunctim* vocatis dicat: *si vero pars quaedam ex his desiciat, sancimus, eam omnibus, si habere maluerint, pro VIRILI portione* (h e, pro numero personarum, ut ipse Imperator explicat in *d. L. vn. §. 8.*) *cum omni suo onere accrescere.* Ex hoc, quod portio vacans pro virili accrescat, non obscure colligi potest, Imperatorem, cum haec de *coniunctim* vocatis scriberet, non de aliis, quam de re, et verbis simul coniunctis cogitasse: siquidem verba *pro virili* legatariis verbis tantum coniunctis non satis conueniunt: his enim et ex partibus *inaequalibus*

bus legari potest, quo casu portio vacans eis non potest accrescere pro virili, sed potius accrescit pro portione legati euique dati *L. 41. pr. de leg. 2. iunct. L. 19. §. ult. de leg. 1.*, TITIVS *lur. priu. rom. Germ. Lib. 7. cap. 7. §. 14.*, vid. etiam supra §. XI. in fin. Sed neque
 iam necesse duco, etiam illi occurrere praeconcepae opinioni, nimirum testatoris
 quae plerosque in communem errorem traxit, nimirum voluntas fa-
 hanc semper testatoris voluntatem praesumendam esse, quo- vet eis, qui
 rities duobus eandem rem coniunctim legavit, partibus adie- verbis tan-
 ctis, vt, alterutro deficiente, alter totum haberet. Sane, tum coniu-
 praesumunt Doctores, qui talia asserunt, quod praesumi ctis ius ac-
 contra apertam veritatem non potest, ne quidem hodie, crescendi
 postquam verborum directorum rigor cessauit. Fateor tribuunt.
 equidem, olim, cum legata adhuc concipi oporteret ver-
 bis directis, minus dubii fuisse, quin legatariis praeter
 partes singulis adscriptas nihil accrescere potuerit, de quo
 videatur supra §. X.: Verum neque hodie res aliter se ha-
 bere potest. Testator enim legatarios verbis tantum
 coniungens dixit quidem, quam quemuis partem habere
 velit, sed hoc nullibi dixit, se velle, vt legatarius totum
 habeat, collegatario deficiente. Si ais, hoc esse praesu-
 mendum: vnde, ex te quaero, et ex quo fundamento hoc
 praesumendum? aut vbi IVSTINIANVS hanc praesumptio-
 nem vel verbo inculcauit, aut inculcare poruit contra clara
 testatoris verba? Scimus, non aliter a significatione verborum
 recedi oportere, quam cum manifestum est, (fictio igitur cerebri-
 na et ratione destituta non sufficit,) aliud sensisse testatorem *L.*
69. de leg. 3. Ast ego certe non video, vnde manifestum
 reddatur, testatorem voluisse totum legatariis dare, quibus
 tantum partes adscripsit. Minerva minus inuita praesumes,
 testatorem, qui partes legatariis adscripsit, noluisse, eos to-
 tum habere, etiam tunc, cum reliqui non concurrunt: nam sa-
 piens

piens nihil frustra dicere praesumendus est. Atqui testator, volens, ut legatarius totum habeat, collegatario deficiente, frustra agit legatarius *partes* adscribendo, atque legatum ita concipiendo: *Titio ac Sicio fundum AEQVIS PARTIBUS do, lego*: nihil enim rationis est, cur non potius legatum simpliciter ita concipiat: *Titio ac Sicio fundum do, lego*. Dices: partes adiecit, ut ostenderet, quam quivis partem habere debeat in concursu. Respondeo, ex hac sola causa plane non opus fuisse voces addere *aequis partibus*: nam, etiam omitta hac adiectione partium, legatarii concurrentes partes aequas fuissent habituri. Alia ergo causa subsit, necesse est, quae mouerit testatorem, ut partium mentionem faceret, qualis facile excogitari non potest, nisi dicamus, ideo testatorem maluisse legatariis fundum *partibus adiecit* dare, quam simpliciter, ut eos remoueret a toto, quod, non existente concursu, consecuturi fuissent, si legatum simpliciter fuisset conceptum. Hoc loco conferas, velim, quae dixi supra §. XVII. prope finem. Accedit, quod inter eos, quibus ita legatum: *Caio fundi Tusculani partem dimidiam, et Titio partem dimidiam do, lego*, in praxi ius accrescendi non admittant, WERNHER P. 5. *Obs.* 140., idque non ex alia certe ratione, quam quia testator legatariis non totum, sed tantum partes dedit. Non video itaque, cur non idem statuendum sit in casu, quo testator duobus *eadem propositione ex partibus aequis* fundum legauit: vnitas enim sermonis per se non inducit ius accrescendi, (quia alias etiam in casu L. 84. §. 12. *de leg. 1.* et L. 20. *de leg. 2.* locum habere deberet), quamvis, si aliunde adest ius accrescendi, ius praelationis operari possit (§. XXVI.). Praeterea valde imprudenter ageret testator partes adiiciendo, si ea ipsi mens sit, ut legatarios ad totum vocaret in casum, quo collegatarius deficiet: scit enim,

enim, vel scire saltem potest, Iudicem, lite de portionē vacante inter heredem et collegatarium mota, non facile huic totum daturum, cui ipse testator non nisi partem dederit. Sibi ergo impuret testator, quod partes adiecerit, quas adiacere necessum non habuit, aut, si adiacendas eas putavit, legatariis in casum deficientis collegatarii non prospexerit, e.g. reciprocam inter eos substitutionem faciendo. Haec argumenta et haec praesumptiones certe verborum directorum et iuris civilis rigorem non sapiunt, sed in ipsa aequitate et sana ratione sunt fundatae, contraria vero praesumptio omni solido destituitur fundamento, adeoque merito explodenda.

§. XXIX.

Ius accrescendi, cuius definitionem dedi supra (§. II.), Diuisio iuris in scholis diuiditur in *ius accrescendi in specie sic dictum* et, *ius accrescendi non decrescendi*. Illud est, quo legatum eius, cui aliquid accrescit, augetur; hoc vero, quo impeditur, ne legatum eius, cui aliquid accrescit, minuat. Illud locum habere aiunt inter legatarios verbis tantum coniunctos, quia his secundum verba testamenti tantum pars data, et sic, alia quadam parte collegatarii accrescente, augmentum consequuntur; hoc vero adesse asserunt in re tantum coniunctis, quia singulis testamenti verbis solidum est datum, quod collegatario concurrente in partes scinditur, atque minuitur, hoc vero deficiente non minutum retinetur. Igitur re coniunctis per ius accrescendi nouum et alienum augmentum non accedit, sed potius ex eo, quod ex ipsis testamenti verbis iam ab initio habuerunt, nihil decedit. Quod ad coniunctos re et verbis simul atinet, inter DD. lis est, an hi ab initio solidum, et partes demum concursu, an vero partes mox ab initio habeant. Prius qui tenent, inter eos ius non decre-

Diuisio iuris
accrescendi
in ius accre-
scendi in
specie sic di-
ctum, et ius
non decre-
scendi.

decrefcendi, qui vero pofterius, ius accrefcendi in fpecie fic dictum nominant. Retinui ego hanc diftinctionem, quia in fcholis femel recepta, quamvis nomen *iuris non decrefcendi* legibus, veteribus certe, fit incognitum, vtut res ipfa fit notiffima.

§. XXX.

Ius accrefcendi in fpecie fic dictum inter legatarios non datur.

Quoties inter legatarios ius accrefcendi eft, toties vere eft ius non decrefcendi, adeoque ius accrefcendi in fpecie fic dictum inter legatarios non datur. Prono hoc alieo fluit ex iis, quae haud dictum inter legatarios praemiffa funt, principiis, ex quibus ita ratiocinor. Quotiescunque legatum ei datum, cui aliquid accrefcit, iure accrefcendi non augetur, toties non eft ius accrefcendi in fpecie fic dictum: porro, quotiescunque iure accrefcendi hoc, et nihil amplius, efficitur, vt legatum eius, cui aliquid accrefcit, non minuat, toties eft ius non decrefcendi (§. XXIX). Atqui ius accrefcendi femper efficit, vt legatum eius, cui aliquid accrefcit, non minuat, in nullo vero cafu hoc efficere potefl, vt illud augeatur. Ergo omne ius accrefcendi eft ius non decrefcendi, neque vllum in vlllo cafu ius accrefcendi in fpecie fic dictum datur. Quamuis propositio minor pateat ftatim fingulos paragraphos percurrenti: tamen eius probatio breuibus etiam fic confici potefl. Legatarii per ius accrefcendi nunquam accipiunt plus, quam cuique mox ab initio a teftatore datum (§. XVIII. XXII. XXIII). Ergo eorum legata per ius accrefcendi nunquam augetur. Porro, legatarii ius accrefcendi nunquam habent, nifi eis plus ab initio datum, quam existente concurfu habere poffint, vt pote aliis ab aliorum legatis partes abftrahentibus (§. V. XIII). Eorum ergo ius accrefcendi, collegatario defici.

ficiente, semper consistit in hoc, ut collegatarius deficiens a legato collegatarii non deficientis iam non abstrahat, quod ab eo abstracturus fuisset, si non defecisset. Impedit ergo ius accrescendi, ne legatum eius, cui aliquid accrescere dicitur, minuatur.

§. XXXI.

Oppones, hanc doctrinam aperte pugnare cum doctrina IVSTINIANI in *L. vn. §. ii. C. de caduc. toll.*, ubi de iis, quibus *coniunctim* res quaedam legata, ait: *si vero pars quaedam ex his deficiat, sancimus, eam omnibus, si habere maluerint, pro virili portione CVM OMNI SVO ONERE ACCRESCERE;* de iis vero, quibus res quaedam *disiunctim* legata fuit, haec sunt Imperatoris verba: *si vero non omnes legatarii, quibus separatim res relicta sit, in eius acquisitionem concurrant, sed vnus forte eam accipiat: haec solida eius sit: quia sermo testatoris OMNIBVS PRIMA FACIE SOLIDVM ASSIGNARE VIDETVR, alii superuenientibus partes a priore abstrahentibus, ut ex aliorum quidem concursu prioris legatum minuatur. Sin vero nemo alius veniat, vel venire potuerit: tunc NON VACVATVR PARS, QVAE DEFICIT, NEC ALII ACCRESCIT, ut eius, qui primus accepit, legatum AUGERE videatur: sed apud ipsum, qui habet, solida REMANEAT, NVLLIVS CONCVRSV DEMINVTVA. Et ideo si VNVS fuerit in persona eius, apud quem remanet legatum adscriptum: hoc omnimodo impleat, ut voluntati testatoris pareatur. Sin autem ad deficientis personam hoc VNVS fuerit collatum: hoc non sentiat is, QUI NON ALIENVM, SED SVVM TANTVM LEGATVM IMMINVTVM HABET. Multa profecto ex his verbis fluere videntur toti dissertationi meae valde inimica. Nam a) hic manifestum est, iis tantum ius non decrescendi tribui, quibus *disiunctim* res quaedam legata, cum e contrario iis, quibus *coniunctim* legata, tribuatur ius accrescendi, per*

Nec thesi
meae obstat
L. vn. §. ii.
C. de caduc.
toll.

quod in oppositione ad ius non decrescendi non potest intelligi, nisi ius accrescendi in specie sic dictum. Deinde vero b) de iis, quibus res disiunctim legatur, dicitur, portionem cessantem eis accrescere *sine onere eidem*, fortasse adiecto, idque ex hac ratione: quia ei, qui deficienti re tantum coniunctus est, *sermo testatoris prima facie solidum assignare videtur*, et hinc talis non alienum, sed suum tantum legatum non minutum habet; de re et verbis simul coniunctis vero disposuit Imperator, eis portionem vacantem non aliter accrescere, quam cum omni suo onere, ex quo sequitur, eis, quibus *coniunctim* res legata, sermone testatoris non esse *solidum* datum, adeoque eos portionem vacantem non accipere ut *suam*, sed ut *alienam*, per consequens eorum legata per ius accrescendi non tantum *non minuta retineri*, sed vere *augeri*. Quid iam ad haec? Manendum nempe in antiqua sententia, quippe non obstantibus IVSTINIANI verbis, si modo recte eorum sensum percipiamus. Notandum ante omnia, me in verbis esse facilem, modo cum Imperatore conveniam in re, convenio autem pulcherrime. Attende, ostendam. Inter eos, quibus *coniunctim* eadem res legata hoc modo: *Titio ac Seio fundum Tusculanum do, lego*, et inter eos, quibus *disiunctim*, e. g. sic: *Titio fundum Tusculanum do, lego, Seio fundum Tusculanum do, lego*, non hoc intercedit discriminis, quod in posteriore specie singulis solidum, in priore vero non solidum, sed cuius pars data (§. X), sed potius differentia inter utramque speciem haec est, quod in posteriore merito dubitari queat, an non testator utriusque legatario voluerit solidum praestari, nempe vni fundum, alteri vero aestimationem, quia verbis eos separavit, singulos seorsim nominavit, et unicuique totum fundum, iterum seorsim, legavit. Certe dubitatum hac de re a veteribus suis.

faisse, non solum ex legatis per damnationem *disiunctim* re-
 lictis (§. XXV.), vt et ex *L. 33. de leg. 1.*, sed etiam ex ipsa
 IVSTINIANI constitutione *d. §. ii. de caduc. coll.* colligi pot-
 est, vbi huius veterum dubitationis meminit, eamque simul
 definit his verbis: *si autem DISIUNCTIM legatum fuerit reli-*
ctum: siquidem omnes hoc accipere et potuerint, et maluerint, suam
quisque partem pro virili portione accipiat: et non sibi blandiantur,
vt vnus quidem rem, alii autem singuli solidam eius rei aestimatio-
nem accipere desiderent: cum huiusmodi legatariorum auaritiam AN-
TIOPIUS VARIA MENTE SUSCEPERIT, in vno tantummodo
genere legati (et quodnam illud? nempe legatum damnationis
disiunctim relictum), eam accipiens, in aliis respuendam esse exi-
stimans. Nos autem omnimodo repellimus - - nisi testator apertir-
sime et expressim disposuerit, vt vni quidem res solida, aliis autem
aestimatio rei singulis in solidum praestetur. Si vero ad priorem
speciem, Titio ac Seio fundum Tusculanum do, lego, respicia-
mus: oppido certum est, testatorem non in ea fuisse senten-
tia, vt fundus vtrique praestetur in solidum, sed hanc po-
tius eius voluntatem fuisse, vt fundi partes concursu fiant,
et cuius legatario concurrenti pars detur. Haec confide-
rans IVSTINIANVS de iis, quibus disiunctim eadem res
legata, ait, quod, si ex his vnus deficiat, eius pars non vacue-
tur, nec alii accrescat, vt eius legatum augere videatur, sed potius
is, apud quem solidum remanet, non alienum, sed suum
tantum legatum non minutum habeat, adeoque nec onus sentiat,
quod sentire collegatarius deficiens debuisset: et quare haec
omnia? ideo, ait Imperator, quia sermo testatoris omnibus pri-
ma facie solidum assignare videtur: scilicet quia testator singu-
los legatarios seorsim ad fundum vocauit, prima facie vi-
detur voluisse, vt fundus, ad exemplum legatorum damna-
tionis, singulis in solidum detur, ita, vt ne quidem concursu

partes habeant, sed solidum quibus. Hoc posito inter disiunctim vocatos ius accrescendi adeo excluditur, ut ne quidem ius non decrescendi inter eos locum habere videatur: utpote quod iis demum tribuimus, quibus deficiente concursu non decedit, quod eo existente erat decessurum. Mouit hoc Imperatorem, ut diceret, alterutro horum legatariorum deficiente perinde esse, acsi nulla adesset portio vacans, quae possit accrescere. Ex quo porro concludit, collegatarium non deficientem, penes quem solidum manet, non alienum accipere, sed suum tantum legatum, adeoque eum nullum etiam onus sentire, utpote non suo, sed alieno legato adiectum. Longe aliter se res habet in iis, quibus coniunctim eadem res relicta: quamuis enim et hic solidum singulis datum ab initio, certum tamen est, in casum concursus solidum non esse datum, sed tantum partes. Et eatenus dici potest, ei, qui portionem capit, quam accepturus fuisset collegatarius, si concurrere potuisset, accrescere alienum, quod nomen alienum non ita accipiendum, acsi id, quod accrescit, ei, cui accrescit, ab initio non fuerit datum, sed de eo potius est intelligendum, quod alienum futurum fuisset, si collegatarius concurrisset. Quod Imperator per alienum non statim intelligat absolute et omni respectu alienum, ad oculum patet ex d. l. vn. §. 10. C. de caduc. toll., ubi haec verba de heredibus coniunctim institutis occurrunt: *hoc ita tam varie, quia coniuncti quidem propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt, et partem coniunctorum sibi heredum QVASI SVAM praecoccupant.* Porro in §. 11. d. l. vn. de caduc. toll. Imperator etiam de iis, qui disiunctim instituti sunt, ait: *disiuncti vero ab ipso testatoris sermone apertissime sunt discreti, ut suum quidem habeant, ALIENVM autem non soli appetant, sed cum omnibus coheredibus suis accipiant.* Hoc loco

alic-

alienum certe non id denotat, quod statim ab initio est alienum, sed quod alienum futurum fuisset existente concursu. Ex his apparet, id, quod Imperator in iis, quibus *coniunctim* res fuit legata, *ius accrescendi* vocat, *vere ius non decrescendi* esse: nam et his solidum ab initio datum, partes autem demum accipiunt concursu (§. X.). Nullo ergo concursu existente nihil accipiunt, quod eis ab initio non fuerit datum, adeoque eorum portio collegatario deficiente non tam augetur, quam porius non deminuitur, quae necessario deminuenda fuisset collegatario concurrente. De his vero, qui *disiunctim* ad legatum vocati, IVSTINIANVS tale ius accrescendi, quale *coniunctim* vocatis tribuit, praedicare haesitavit, non, quod crederet, sed, quod *prima facie videretur*, eos tale non habere, cum in his non ita apertum sit, uti quidem in *coniunctim* vocatis, eos in casum concursus ad partes tantum esse vocatos. Caeterum ex diuerso hocce legatarios coniungendi modo Imperator hanc intuitu oneris adiecti coniecturam capit voluntatis testatoris, scilicet toties, quoties testator legatarios *coniunctim* vocavit, et sic quasi in vnum corpus redegit, praesumendum esse, ideo eum hoc fecisse, ut eo ipso indicaret, se velle, ut et onus sentiret alienum, qui commodum alienum (h. e. tale, quod alienum futurum fuisset in concursu,) haberet, eo quod credibile sit, testatorem, si hoc noluisset, legatarios verbis fuisse se iuncturum, *ut prima facie videri possit*, cuius *solidum* esse assignatum, et per consequens quemuis *suum* tantum accipere, *non alienum*. Quamvis enim et *disiunctim* vocati vere accipiant alienum, eo nimirum sensu, quo idem de vocatis *coniunctim* diximus, (nam et in his *alio concursu* *peruenientes partes a priore abstrahunt, ut ex aliorum quidem concursu*



curfu prioris legatum minuat) : tamen, quoniam *seorsim* res
 cuius legata, *videtur*, eos nequidem eo sensu alienum acci-
 pere, sed duntaxat suum. Et hoc ipsum in causa est, cur
 Imperator ita interpreteretur voluntatem testatoris legatarios
 separatis propositionibus vocantis, quasi hoc ipso innuere
 voluerit, se nolle, ut onus sentiret, cui legatum *seorsim*
 dederit sine onere: cum, si legatum cum onere ei dare vo-
 luisset: *nulla fuisset difficultas, coniunctim hoc disponere*, et am-
 bos vnitate sermonis in vnum corpus redigere, ut non
 posset videri, quemuis suum retinere, non autem alienum
 accipere. Et iam praestitum a me esse credo, quod in dis-
 sertationis facie promisi, *ius accrescendi inter legatarios*
semper esse ius non decrescendi. Vale, Lector
 beneuole, et mihi faue.

ERRATA SENSVM TVRBANTIA.

Pag. 6. §. VI. lin. 1. pro *adprobationem lege ad probationem*.
 Pag. 11. lin. penult. pro *adeo nulla lege adeo, ut nulla*.



PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

*Iura accrescendi recte perplexa docere,
Herculis est decimus tertius iste labor.*

Herculeum igitur, CANDIDATE DOCTISSIME, suscepisti laborem, cum doctrinam de iure accrescendi, qua in toto iure nulla subtilior, quaeque maxima iam dudum ingenia defatigavit, in TUA dissertatione inaugurali TIBI explanandam sumfisti. Refertas non vulgari eruditione, quas a TE conscriptas accepi, paginas inueni. Mutavi tamen non nulla, ibi praesertim, ubi a meis principiis, (quae TUA erga communes Doctorum opiniones religio atque reuerentia fuit,) aberrantem TE deprehendi. Adieci interdum exactiorem legum difficiliorum analysis, interdum vero ea, quae in re obscurissima clarius dici

dici posse existimaui, aliis verbis reddidi, qua de re
eo faciliorem a TE veniam mihi polliceor, cum ipse,
pro TVA humanitate atque modestia, ea, quae forte
opus habere viderentur, mutandi mihi feceris facul-
tatem. Confesto labore reddo disertationem,
mox mascule, quid enim TIBI non succedit? contra
Oppugnatores a TE defendendam. Reliquum est, vt
de eximia, quam indefessa diligentia, cuius inter alios
et ego testis fui oculatus, in Alma hac Fridericiana
per trium annorum, et quod excurrit, spatium TIBI
comparauit, iuris scientia; reliquum, vt de felici con-
nubio cum sacra Themide, me paranympho, mox con-
trahendo; reliquum denique, vt de summis, quibus
TE perendie ornari videbimus, in vtroque iure hono-
ribus ex intimo TIBI animo gratuler. Precor prae-
terea supremum Numen, vt res TVAS ex veto succe-
dere iubeat in omni vita. Deinde, vt maxime Reu-
Dominum PARENTEM, quem et propter amplissima,
quibus in rebus ecclesiasticis praestit, officia, et pro-
pter praeclara in puriorem ecclesiam merita omnes
suspiciamus, quamprimum in patriam fueris factus re-
dux, meis verbis salutes, TVAMque erga me beneuolen-
tiam et in posterum conserues, valde TE oro. Vale.
Dabam Halae d. XXVIII. Mart. M D CC LIX.

SIGNOR,

SIGNOR, *MON*

Eccolo arriuato questo lieto giorno, oue Vostra Signoria facendo publica testimonianza della sua squisicissima erudizione va con estrema sua lode raccogliandone i meritissimi premii. Me ne rallegro infinitamente con lei. E l'amicizia, che nacque già fra noi nelle scuole, e che andata crescendo nella Accademia ci ha ancora più congiunti, mi lascierebbe ella riguardar con occhi indifferenti tanto suo honore; benchè la gloriosa proua, che anche a questa occasione mene ha data, scelgendomi vn suo opponente, non mele obbligasse alla più viuua riconoscenza? Aggradisca dunque V. S. e le mie sincere felicitazioni, ed i miei vmilissimi ringraziamenti; e sia persuasa, che accertando la carica da lei fauoreuolmente addossatami, non hò altro disegno, che di rendere per la disfatta mia le sue vittorie più moltiplicate. Con che pregandole ogni felicità mi raccomando alla continuazione della preziosissima sua amicizia, la quale mi lusingo di meritare per lo zelo e l'osseruanza con che sono

MON
di V. S.

Hala
li 1. d' Aprile,
MDCCLIX.

MON
obligatissimo Seruitore
F. Koepken,
di Magdeburgo Opponente.

MON
K

MON-



MONSIEUR

Très redevable de la bonté, que Vous m'avez temoigné, ayant bien voulu me choisir pour Argumentant à Votre Dispute prochaine: je crois devoir Vous en faire mes très-humbles remerciemens, et Vous assurer, que je me tiens très honoré de Votre choix.

Permettez, MONSIEUR, que je Vous felicite en même tems de l'heureuse fin de Vós études, que Vous allez rendre plus brillante et honorifique en prenant le grade, qui ajoute l'eclat au merite; et que je Vous souhaite toutes les prosperités, qui y sont ordinairement attachées.

Vous êtes trop bien persuadé, MONSIEUR, de ma parfaite amitié, pour que j'aie besoin de Vous en donner de nouvelles assurances: et comme je connois aussi la sincerité de la vôtre; je Vous en demande seulement la continuation, Vous protestant, que de mon côté je conserverai éternellement les sentimens de tendresse et d'estime avec les quels je suis

MONSIEUR

à Halle
ce 2. d'Avril
MDCCLIX.

Votre

très-humble et très-obéissant Serviteur

L. D. G. Madelung,
de Quedlinbourg.

MON-

MONSIEUR

Sil pouvoit être possible de trouver des expressions affés énergiques, ou, de donner des peintures affés éclatantes de la joye, dont je suis penetré aujourd'hui; ce seroit bien mòi, qui les deuroit employer ici dans toute leurs force, par l'honneur que j'ai d'être de Vos amis. Mais c'est le propre de la joye qu'on ressent à cause du bonheur d'un ami, qu'on estime; qu'elle rende l'oquence muette. On Vous a jugé digne, MONSIEUR, du grade de Docteur des droits; on Vous couronne déjà au temple de Themis, on y met le laurier sur Votre front. Spectacle en effet affés frappant à vn ami, qui Vous aime aussi tendrement, que mòi. Recevès donc, MONSIEUR pour tout témoignage de mon attachement mes felicitations seules, mes voeux ardents et sinceres: Puisse le ciel! Vous combler de toute sorte de benedictions, puisse-t-il! Vous conserver dans vne parfaite santé et prosperité, qu'il veuille! Vous mener au plus haut degrés de la gloire, dont Vous allès faire le commencement si heureux et si eclatant. Daignès, MONSIEUR regarder avec vn oeil fauorable ces foibles marques de mon estime. Daignes aussi me continuer toujours Votre amitié, et n'oublies jammais, que je sois

MONSIEUR

à Halle
ce 1. Avril
MDCCLIX.

*Votre très humble et très obeissant
Serviteur et ami*

F. A. Hincke,
Ascanien. E. d. d.

K 2

TES.



TESSERA GRATVLATORIA,
 QUAM
 VOTIVIS ALIORVM ADCLAMATIONIBVS
 AD
 DOCTORIS HONORES
 A
 VIRO IUVENE
 FRIEDERIC. CHRISTIAN. MICHAELIS
 FELICITER CAPESSENDOS,
 ADIICERE DEBVERVNT,
 IOANNES GVSTAVVS, }
 ET } SÜSSMILCHII.
 CAROLVS CHRISTIANVS }

Nullum gratius vnquam ex dulcissimi Parentis nostri
 ore accipere potuimus mandatum, quam quo nunc
 ad gratulandos TIBI summos in iurisprudencia ho-
 nores excitamur impellimurque. At quum eodem fere,
 quo datum, exsequendum sit momento; nil nisi quae facil-
 lima sunt ad manum, offerre poterimus. Diis ipsis scilla
 olim et paululum farris sufficiebat: Quin TV, Consobrine
 suauissime, renues munera, quae, licet sint leuidensia, mien-
 tis tamen pietate fiunt et grauiora et nobiliora? Abesto
 procul haec de TE cogitatio, quae non nisi TE inuito con-
 cipi queat!

Applaudimus ergo Musis, qui TE dignum iudicarunt
 laurea, quam habent, splendidissima. Applaudimus gau-
 dio bonorum, qui doctrinae TVAE merita honorifice com-
 pensata laetantur. Applaudimus Parentum tuorum summa
 reue-

reuerentia colendorum laetitiae ac pietati, qua suauiter eorum, TE auctore, nunc demulcentur animi. Applaudimus cum nostris et parentibus et familiaribus communi omnium voluptati, qua tuus eos debachari iubet honos. Liceat vero, Suauissime, mox Doctor dignissime, liceat quoque nostrae, quam euictam damus, laetitiae subnectere argumenta.

Non supputamus ea, quae omnium oculis sunt evidentissima, et consummatorum in doctrina virorum iudicio omnem extra dubitationis aleam posita: TE scilicet, omnibus diligentiae et studiorum partibus strenue et honorificentissime exsolutis, praemium, quo mactaris, optime meruisse; nec: Aperiri TIBI iam campum amplissimum, in quo TVA tot tantisque doctis laboribus comparata doctrina excurrere possit. Grauiora et nobiliora habemus laetitiae argumenta: TE olim nempe Virtutis paternae, tot sacratissimis excultae et prouectae institutis, fore et exemplum et decus: TE, quae Parens omni colendus reuerentia, praeiuerit vestigia, omni sequuturum ardore; TE eundem, quem ipse in praedicanda et ornanda legum diuinarum norma nactus est, honorem ac laudem in exercenda ac commendanda humanarum Themidosque legum religione fore ambiturum.

Non viuimus enim aeuo, ad ferendos summos in doctis viros, sterili ac effoeto. Sat doctorum omnia plena sunt et in scientiarum subfelliis, et in munerum publicorum fastigiis. Ast virtutum nobiliorum exigua seges. Graecia, virtuti facilior; vnum vix tulit Aristidem, nomine iusti dignum. Romanorum parci Catones, rariores Bruti. Nostris, vbi magis quisque indulget suo et deprauatori quidem ingenio, nostris ehem! temporibus vix vnus vel alter viuit Caro; aequae pauci, ni forsân pauciores finguntur Aristides et Bruti. Et quid miramur haec? quum seculi

L

nostris



nostri tanta sit peruerfitas, tanta deprauatio, tanta denique procacia, vt animis generosioribus aegre iam virtutis concedatur studium. Cum nefas hodienuc sit, esse pium: quis volet, quis poterit esse pius? Sunt parci Dei, parci religionis et parci quoque Themidos cultores: hique eorariiores, quo procacius istud, quo iustitia iuncta est virtuti, vinculum sororium nunc dissoluatur, quoque maiores obstant illecebrae, quibus ii, qui iustitiae funguntur sacris, a colenda et exercenda eius religione detorqueantur.

Estne ergo, quod laetemur, tale tantumque, sat multis comprobatum testimoniis, et iustissimis anteceptum expectationibus, inesse TIBI virtutis studium, vt, ad cuius nunc intromitteris sacraria, secunda a virtute Dea, Themis TE habuerit cultorem strenuum, sacerdotem sanctissimum, amicum et tutorem nullo venalem auro, omniaque a se arcentem, quibus mens corrumpi et a virtute deflecti queat? Nam iis, quibus puer et iuuenis vsus es institutis ac exemplis, nil minoris, nisi tanta statuenda est vis atque efficacie. Sic gaudebunt omnes, quorum rebus inseruias aliquando, de ciue bono! Sic laetabuntur princeps et patria de viro munero suo probe fungente! sic gaudebunt parentes et omnes tui de filio et amico, decus et laetitiae oblectamenta ipsis paranti! Sic TV de gloria, virtutis comite assiduo, sic de omnimoda inde profluente felicitate sic de iusti conscientia et mentis voluptate, ceu nobilissima virtutis ac iustitiae mercede, TVA TIBI in Deum et leges pietate comparata, ouabis beatus! Nosque, cur plura TIBI praeter haec vo- ueamus anxie, nec habemus, nec habebimus; sed omnis officii nostri in eo vertetur cardo, vt et nos TVA virtute, ductisque salutis TVAE ornamentis superbiamus. Deus haec nobis gaudia parer! Dabamus Berolini Nono Calendarum Aprilis A. R. S. M D C C L I X.

v. 34



V. Zagedorn.

• Dein glücklicher Verstand
Durchdringt in edler Eile
Den Nebel grauer Vorurtheile •

D Jüngling, Zeit und Jugend,
Fliehn flügelsternschnell davon!
Nur Wissenschaft und Tugend
Gewähren sichern Lohn.

Mit unverdrohnen Schwingen,
Stark durch der Wahrheit Macht,
Laß uns zum Hindus dringen!
Der Vorurtheile Nacht.

Wird wie vom Blitz geheilet,
Wenn man mit regen Sinn
Früh nach der Weisheit eilet,
Der Musen Schutzgöttin.

Die Finsternissen weichen;
Der Wahrheit Morgenroth
Kan Schwarz und Schatten bleichen,
Die ihren Höhen droht.

In Deiner Jahre Morgen,
O Jüngling edler Art,
Hast Du nicht kluges Sorgen,
Noch muntern Fleiß gespart!

Des Vaters groß Exempel
Niß Deinen Eifer hin.
Nun soll im Ehrentempel
Auch Dein Gedächtniß blühn.

Du weißt, wie viele Gänge
Man damals mit Dir nahm,
Eh Dir der Gründe Menge
Recht in die Seele kam.

Nun ist es Dir gelungen
Nach überstandner Müß;
Du bist hindurch gedrungen,
Die Arbeit reut Dir nie.

Asträens lichtiges Prangen
Erhellet nun Deinen Pfad,
Du bist ihr nachgegangen
Mit Eifer früh und spat.

Sie schenkt nun Ihrem Sohne,
Den stets Ihr Reich entzückt,
Der Ehre würdige Krone,
Die Stirn und Schläffe schmückt.

O folge treu dem Ruffe,
Mein Schätzungs werther Freund!
Bis daß zur höhern Stufe
Der frohe Tag erscheint.

Aus aufrichtiger Liebe schrieb dies zu des
Hochgeehrtesten Herrn Doctors wol-
verdienten Ruhme

Georg Wilhelm Warbach.

Sing,

Sing, begeisterte Muse, stolz von erhabner Empfindung,
 Sing dem würdigen Freunde süsse harmonische Lieder!
 Die ertöne dein Lustspiel jenem wunsinnigen Slaven,
 Der mit rasenden Eifer, gleich, den ohnmächtigen Riesen,
 Die den Jupiter stürmen, unsern ehrwürdigen Weisen
 Hohn spricht. Festliche Sayten müssen dem Laster zu Ehren
 Durch Verletzung der Tugend niemals entheiligt werden.
 Heut, o Freund schalle mein Lied, da Themis mit segnen
 den Händen
 Den Dir gewundenen Lorbeerkranz lächelnd den Schläfen
 umhüllt.
 Wig, Gelehrsamkeit, Weisheit, zärtliche Schwestern der
 Tugend,
 Bilden harmonisch Dein Herz, prägen den würdigen Adel
 Deiner entflammten Brust ein. Selbst in bezaubernden
 Nächten,
 Die durch schleichende Reize öfters tiefforschende fällen,
 War Dein geschäftiges Auge weit vom Schlummer ent-
 fernt,
 Wenn vorbey rauschende Tage schnell Deinem Fleisse ent-
 stohn.
 Glänzender Tag! Schau auf ihn, Freund, mit gehetzten
 Blicke,
 Er krönt die errungene Staffel mit feltner Belohnung.
 Er schenkt Dir das Loos, daß Du für Republicken ge-
 bohren.
 Folge dem günstigen Wink, der aus Deinem Ruhme her-
 vorkleimt;
 Eins nur besuisset mein Herz, Du entschwingst Dich unsrer
 Umarmung:

Doch ein engückendes Denkmahl soll diese Trennung ver-
füßen.
Du aber, gütiges Schicksal, begleite den Besen der Freunde!

C. G. Müller
d. N. E. aus dem Magdeburg.

Ich halte nichts von leeren Träumen,
Warum? Um da nichts einzuräumen,
Wo Phantasie das meiste gilt.
Doch heute ist mein Traum erfüllt.
Herr Doctor! Soll ich ihn erzehlen?
Du magst Dir selbst die Deutung wehlen.

Ich sah Dich im Triumphgeführt,
Mit Kränzen Deinen Hut gesieret,
Dein sanfter Blick war reizend schön.
Ey, häßt Du Dich doch selbst gefeßt.
Man sah engückt auf beyden Seiten.
Ein Bild von tausend Treflichkeiten.

Berührt durch so viel Seltenheiten
Frag' ich: Was soll denn dis bedeuten?
Die Antwort war: So sieht das Glück
Auf seinen weisen Freund zurück.
Wer so, wie er, der Weisheit frönet,
Wirt auch mit Pracht und Sieg gekrönet.

Du lächelst, hab' ich es getroffen?
Wohl an, die Glücksbahn steht Dir offen,

Die

Die zu dem höchsten Gipfel führt.
Du bist, den man mit Myrthen ziert.
Ich sehe Dich mit Siegeskränzen
Nach ausgekämpften Streite glänzen.

Dein edler Gang zu höhern Sphären
Reizt mich, bewundernd zu verehren,
Wie gros des Fleisches Würde macht.
So sey denn Freund, mein Wunsch gebracht:
Sey stets ein Liebling grosser Götter,
Ein wahres Urbild weiser Männer.

Vergönne nur, daß meine Jahre
Dir noch die letzte Pflicht gewähre.
Sie sey Dir einzig nachgeweiht.
Freund, bleibt Dein Herz mit mir vereint:
So wird kein Alter, kein Bemühen;
Mich Deiner fernern Huld entziehen.

Johann Paul Müller
aus Neuhaldensleben im Magdeb.
D. R. E.



Die in dem höchsten Himmel steht
Du bist, den man mit Loben preist
Ich sehe dich mit Begehren
Nach angenehmen Worten hören.

Das alte Wort in diesen Tagen
Nicht mehr, denn es ist zu veralten
Es wird der heilige Geist nicht
Es ist kein Geist, den man nicht
Es ist ein heiliger Geist, der
Im heiligen Geist nicht mehr veralten.

Wachet nun, das meine Söhne
Für euch die alte Schrift gelehrt
Es ist die alte Schrift gelehrt
Wachet, nicht, denn wir sind
Es ist die alte Schrift gelehrt
Wachet, nicht, denn wir sind

Wachet nun, das meine Söhne
Für euch die alte Schrift gelehrt
Es ist die alte Schrift gelehrt
Wachet, nicht, denn wir sind
Es ist die alte Schrift gelehrt
Wachet, nicht, denn wir sind



ULB Halle
002 612 283

3



Sb

BvM







8 Pri. Co. ~~Brux.~~ 40.
1759 26

DE

ACCRESCENDI
IN LEGATIS
SEMPER
NON DECRESCENDI

PRAESIDE
CELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO
DOMINO
O IACOBO HEISLERO
PROFESSORE IVRIS PVBLICO ORDINARIO
O GRADV DOCTORIS
SOLENNITER IMPETRANDO
DIE IV. APRILIS MDCCLIX.
PVBLICE DISSERTET
AVCTOR
CVS CHRISTIANVS MICHAELIS
HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TERIS HILLIGERIANIS.

